
mit Kupfertitel.

Bauer bibl. libror. rarior. 2. T. 236. S.
Engel catalogus libr. rariss. 1. p. 86.



HYPOMNEMA REGINARUM POLONIAE

Autore

VESP: à Kochow Kochowski

Equite POLONO

Anno CHRISTI.

1672

C

HYPOMNEMA REGINARUM POLONIÆ.

à suscepto Fidei lumine
Continua serie.

REGNANTIUM

AUTORE

VESPASIANO
A KOCHOW
KOCHOWSKI,
Equite Polono

Ex Annalibus Patriis

COLLECTUM.

CRACOVIÆ,
Apud Hæred: CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S. R. M.* Typ:



IESVS MARIA IOSEPH

SERENISSIMÆ ELEONORÆ,

DEI Gratiâ
POLONIARVM REGINÆ,
MAGNÆ DVCI
Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Mazouiæ,
Samogitiæ, Kijouiæ, Smolenſciæ,
Czerniechouiæq;,
Nec Non:
Hungariæ ac Bohemiæ Principi,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
&c. &c. &c.
Autor Vitam ac felicitatem.

QVas in conclauibus manu artifi-
cis pictas, easdem nunc ſtylo in
chartam refuſas, REGINARVM

 Polo-

POLONIÆ Ideas, Maiestati Tuæ offero. Exerit se nubibus diuturni temporis, fulgor hic Serenitatis, & clarissima Sidera, tetra obliuionis nocte inuoluta, posthuma repræsentatione, præbent se popularibus suis conspicienda.

Ingens profecto MAGNIS MANIBVS iniuria, occuli gesta, vix nosci nomina, & postquam tot monumentis literarum, REGVM nostrorũ, celebratur gloria, REGVM MATRES sileri. Equidem grande credidi pijaculum tãta nomina sepeliri silẽtio. Iniuriosa luci nubes ea, occasus gloriæ; qui memoriæ diem eripit, præconij splendorem tumulat, commendationis solem extinguit.

Sucibi

Sicubi intra Regiæ penetralia, depicta extant vultuum REGINARVM lineamenta, vetustate adesa, aut adulatorio penicillo, insincera cernuntur: præsertim si color cum tempore, aut artificium cum studio præmij, æmulatur. Arcet item astans satellicium, ab ingressu sacri liminis, profanum vulgus, nec curiosum videndi desiderium, cunctis satiare permissum. Opella hæc, pandit promiscuo ingressu atrium; Hic MAGNA hæc NOMINA venerari datur & aspicere, ac vt quisq; volet, velut transactorũ temporum seriei redditus, videbit & laudatæ MATERNITATIS Titulos

&Re-

& Reginalium qualitatum insignia.

Vnum porrò ingenuo adigente metu fatendum est *Conari tenuem grandia*. Tantorum quidem nominum laudes exequi dulce & honorificum, sed cura ea supra vires; cũ in earũ Encomijs, id postremum sit, quod est in priuatarum personarum primarium. Verùm nihil derogat Soli, intento atri Æthiopis, digito monstrari, & princeps metallorum Aurum, inter rudera defossum pretium non amittit. Dabitur spero venia piæ temeritati, aut officiosæ audaciæ, tanta attrectasse: ac si illis, qui Diuum imagines laudabiliori affectu quàm artificio, è celeberrimis Ectypis, imperfecto refingunt penicillo. Quantùm otij erat vsus sum, quantũ virium feci. Quare vbi silentium impietate non vacabat, scribendi officiũ, pietatis commendationem lucretur.

Non hæc laciniosis intumescit lucubratiuncula verbis, nam aggestæ nimiùm laudes, minoris persæpè sunt virtutis argumentum. Neq; Reginæ Poloniæ, onerosa laudationis pompa, describi requisierant; quibus sua Maiestas, supra omnes Calamistrorũ fucos, satis dat venerationis & splendoris.

Hanc igitur opellam SERENISSIMA REGINA. Augusto Nomini Tuo dedicatum eo, REGINÆ POLONIÆ alibi in lucem prodire nolebant, nisi in Po-

lonia:

lonia: nullibi, nisi apud te hospitari. vt in Te omnes, aut Tu in omnibus reuixisse videaris. Benigna igitur fronte, & mitissimo SERENITATIS TVÆ oculo, oblatum munus, respicere non dedigneris, inter selectos Myrobiblij Regalis codices, repositura. Ita Magnæ REGINARVM POLONIÆ animæ, non ficta metempsichosi iterum spirant; & scriptorem suum, Regali patrocinio insinuantes, sperant. Literatam PRINCIPEM à literis (quantulæcunque sint) non auersam fore.

Dabam Vieliciæ ineunte Anno 1672.

SERENISSIMÆ MAIESTATIS TVÆ

Fidelis subditus & perpetuus Cliens

VESPASIANVS
à KOCHOW
KOCHOWSKI.

A D

Tametsi quid Homini dari potest maius, quàm gloria laus & æternitas? *Plin: Iun: in Epist: ad Corn: Prisc:*

AD LECTOREM

LECTOR

Si Amicus es ſaluto, ſi inimicus deprecor, ſi neuter præoccupo.

AD tuam mi bone, in operis mei veſtibulo, ſeu humanitatem, ſeu vt ſæculi vocabulo vtar diſcretionem, recurro. Incertus animi, Libellone huic? an Autori patrocinium petam. Quid ſi vtriq; ſimul. Magna inter fætum, & ſuum producentem relatione; redundante plerumq; Parentum in prolem, Prolis in Parentes infortunio. Non vanus quippè ſcripto huic metus à Criticis, Autori à maleuolentia, quibus duobus, omnia omnium Autorum Opera arietantur. Me verò quæ Pallas ſua Ægide protegat? Quis Mulciber inconcuſſi Patrocinii vmbone tueatur. Eò ſcilicet, vt lacon ille Muſcam in Clypeo depingi fecit; ſe magis quàm Emblematis terriculamentum, aſpicienti oſtenſurus. Ego quoq; dum velut cõtractis in compendium numeru, epitomẽ rei exhibeo, paruitate ipſa monſtratus; & quod in Pigmæos Gigantibus ſæuire prorſus inhumanum, tutior ab inſultu Zoilorum manebo.

Cæterũ non abs re arbitratus ſum, ſi præliminari anteloquio, nonnulla in aditu ipſo legenti aperirem. Ac primo quæ occaſio concinnandi Hypomnematis rationem reddo. Dum vacabat, lecti mihi ac relecti Annales Patrii, impendi otium, immò totum me, non perfunctoriæ modo lectioni, verùm etiam notabiliorũ rerum connotationi. Nefas erat ex ampliſsimo horto, ſine floribus exire, Feci, decerpſi, connotaui, ac in albũ quoddam Reginas Poloniæ, quas nunc edo; digeſſi. Ad exiſtimationem quippè gentis noſtræ facere putaui REGINARVM POLONIÆ *geneſes, exteros non ignorare, Polonos ſcire; apud quos auita Nobilitas materni generis decoribus ac qualitate probatur. Neq; ingratum vt puto amicis Gentibus, in nobis ſanguinis ſui recognoſcere veſtigia. Neq; indecorum Sarmatis, ad primæuum fontem reſpicere; ex quo in Regnantes ſuos ingens exiſtimationis & ſplendoris profluxerit amplitudo.*

Si conciſus Styli tenor diſplicet, & arida ieiuni laconi-

laconiſmi vena damnabitur, haud pudet exilitatē ingenii fateri, immo cum Lyrico deprecari.

Non mihi gratiæ
Facunda cultis verba leporibus
Velint propinare, & ſacratos
Eloquio grauiore fontes.

Vt in rebus ſic in verbis, magnum parſimoniæ vectigal eſt, ipſe ego à Natura ita conſtitutus vt nec rerum grande diſpendium facere poſſim, nec verborum velim.

Imitatus ſum pleroſq; Neotericos. Emanuelem Theſaurum, ac Albertum Ines Societatis IESV, *illum breuioris Styli facile Principem, hunc clarum ſcriptis editis ingenium, ac Lechiade ſua Regum Polonorum gloriam aſſerentem. Obſtrepi & Horatiano ſcommate aurem vellicas.*

O imitatorum ſeruum pecus

Parce precor mi bone, aut veriùs ignoſce, ſi in hac ſemita aſſequi Prodromum non conceſſum. Quis ille noſtras? Quis ego? Amplæ illi dotes, profundum in relligione otium, ex profeſſo ſcribendi meditationibus exercitatus calamus. Ego qua manu nunc ſtylum ſcriptorium, eadem decennio haſtam tractaui; eadem quâ nunc atramentum dextera, nuper ſanguinem duplici Suetico globo ictus fudi. Iam nunc inter ſalinarias Oeconomicæ villicationis curas, ſine libraria ſupellectile, immo ſine tempore, hoc, quid quid eſt, concinnaui; in reliqua tamen tanti præcurſoris ire pro magnifico habeo.

Autores in Elenchum redactos non proſtituo; neq; enim apibus conſignantur flores, ex quibus laborioſæ animantes colligunt mella, ſufficit mellificaſſe: Natiuos tamen Chronographos, quo de fide mea legenti pleniùs conſtet, in margine appoſui. CROMERVM, BIELSCIVM, GORNICIVM, PIASECIVM, *in Germanicis* CARIONEM, *ac* BVCELLINVM, *non tàm numero quàm vſu commendatos. Reliquam Authorum grauem foliis turbam, fruſtra citarem, licetſi ex iis tum Axiomata tum gnomas excerpſerim. Si quis alieno me ditaſſe arguit. Sciat maiore piiaculo eripi regna, & vſurpatores Alieni eſſe, qui inuito Domino rem contrectauerint. Scriptores verò anteactorum ſæculorum, opera ſua nobis reliquiſſe non viſui ſolùm, ſed vſui: ac veluti prouidi Parentes, hanc acquiſitam laboris ſui hæreditatem, in poſteros pleno Iure tranſcripſiſſe.*

Iam vero iidem illi Amici qui in lucem prodire imperfectionis ſuæ conſcium partum impulerunt, ac ſi

si Patrimi circa lauacrum infantibus munuscula solent, ita illi carmina beneuolentis animi testes, vel fortè amuletum contra fascinum, adiuncta voluere. Ambire quidem talia vanùm credidi, spernere inurbanùm, cum prudenter se quisq; contemnat, superbè alios. Ne ergo ingratus viderer officii, recepi duraturum rependendi quandoq; affectus Mnemosynon, de eorumdem æquanimitate persuasus, non ægrè laturos quod ad calcem operis ponantur. Non viros eruditos à me, sed encomia ipsius mea, nimia fortè, aut immerita, postponi.

Quod reliquùm est, à tuo Tribunali Lector conniuentem erratis incomprehensis oculum mereri non despero. Quodsi rigorosa crisi sæuire in nouitium Autorem, censentium iudicia pergunt, vt præscia mente auguror, me non cuiuis Lectori, Auditoriuè placiturum, Ita prauia obtestatione intimatum velim.

Lector, & Auditor nec mihi quisq; placet.

I N

In Nomen AVTORIS

EPIGRAMMA.

VESPA mel & fel habet, velut Autor noster vtrumq;,
Quando bonas laudat, vituperatq; malas;
Hoc est Reginas: Astreæ iura secutus,
Quæ, prauos punit, præmiat atq; bonos.

De eodem

VESPÆ nomen habes, sed Apis meliùs tibi quadrat,
Ambæ si mel habent, dulcius ista tamen.

In Momum

CAnta Mome manu, velis istam tangere VESPAM
Mella dat hæc nobis. spicula Mome, tibi.

Ad Zoilum

ZOile dente tuo, ne carpas hunc rogo Librum
Ne carpat morsu te quoq; VESPA *suo*
Spicula bina habet hæc, dum cauda pungit, & ore;
Et calamum & gladium, sicut & Autor habet.

ALEXANDER à Kochow KOCHOWSKI,
Patruus ex Fratre Nepoti.

IESVS MARIA IOSEPH.

HYPOMNEMATIS REGINARVM *POLONIÆ*,

A Suscepto Fidei lumine,

Continuâ serie Regnantium.

PARS PRIMA

Saluete Magni Manes,
Venerãda Reginarũ Polon: Nomina;
Ad hæc Sacra Vestrum busta, cernuus precor.
Liceat vt humili scalpello, tantorum Nominum memoriã,
in compendiosam redigere Epitomen.
Non ego leuigandi marmoris artifex,
Aut structurarum Praxitellis æmulus,

Operosas Mausoleorum moles condo;
Sed lineamenta qualitatũ, ad Historicæ veritatis Ductum
Proletario rudis Styli carbone; imitor.
Polonus Polonis, Subditus Reginis
Votiuam tabellam appendens:
Parua petunt manes, pietas pro diuite grata est
Munere;
Maiora qui possunt, robustioribus calamis aggrediantur;
Opella interim mea
Ingenua tenuitatis recognitione, acceptata erit,
aut excusata.
A sua paruitate operi commendationem.
Quid ni sperem?
Nam &, *minutiora horologia itinerantibus non incomme*
Et, *breues ineptiæ quandoq; placent.*
Interim,
Dum è Statione prodeo:
Non Æolo ventorum præsidi, daturus Hecatombem;
Sed qui Via & Veritas est,
DEO TER MAXIMO
Humilis Nauigij Vela explicans,
Me, meaq; omnia:
Do, Dico, Subijcio.
Quia ipse facit mirabilia Solus.

DA-

DĄBROWKA

Miecislai Principis Poloniæ Vxor.

* * *

Quærneas hic Coronas Poloni,
Ex perpetuo florentis Buxi, Serta aggerite.
DĄMBROWKA VESTRA
Roborea Virago est; Cr.f.48
Coniugata in Serto
Mater sine flammeo:
Hæc, BOLESLAI Ducis Bòémiæ Filia, Cr.f.44
Reprobi Patris Optima Proles,
Vicissitudo siquidem quædam est, ex Heroibus noxas
Ex noxis Heroas nasci.
MIECISLAO Cæco Principi Polonorum
desponsata,
Non dotali Gaza, aut aduectitiarum opum cumulo;
Sed Fide CHRISTIANA,
Ditauit Poloniam.
Mirum dictu,
Olim Romanis Libertatem, Nunc Polonis religionem,
Obstetricante Muliebri;

 Jlline

Jllinc pudicitia, Hinc Pietate enatam,
Videre erat: Subitarijs operis
Basilicas assurgere, nouitijs Sacris exercendis;
Fana demoliri, Idola cadere, abigendæ gentilitati
Pro Marzana, ac Zieuonia, Populos CHRISTO nomina dare:
Cooperante ac Symmista DAMBROWKA.
Non postrema sequioris Sexus felicitas,
Ab Vxoria manu, è Salebroso gentilitatis errore,
reduci in Viam Euangelij Maritos.
JTA CLOTILDIS, CLODOVEVM GALLIÆ;
CHIESVNTIS Angla, Offam Saxonum;
THEODOLINDA, Agilulphum Lombardorum;
GISELLA Bauara, STHEPHANVM Vngariæ;
REGES:
Proscripta Idolatria, CHRISTO lucrantur.
Cum prius HELENA,
Constantino Imp: Fil:, tenerrimum Religionis desideriũ,
Instillasset.
Etiam DAMBROWKA
Grande Polonij Hæmisphærij Metheoron,
Dum discussis Paganismi tenebris, Lucem Sancti Euangelij
Præfert;
CRISTO POLONIAM peperit.
Non iam vobis Poloni, ad Romanos fastos recurrendũ,
DAMBROWKAM
Noua Apotheosi, in Sanctorum numerum relaturis,
Poloniæ Vestræ Apostolum fæminam,
Audit æternis Chronographorum fastis, consummatæ
Sanctitatis, etsi non Solennizatæ.

Hæc

Hæc pietate fæcunda MATER,
BOLESLAVM Chrobri Primũ Poloniæ Coronatũ
Regem, enixa; meruit: Cr f. 46
Vt cui viuæ, Regio Diademate redimiri non contigit,
Huic mortuæ, Cumulum Coronarum,
Posthumâ gratitudine, Christiana posteritas aggereret.
Ita persæpe DEVS TER MAXIMVS
Per sequiorem Sexum Summa operatur
Moritur DAMBROWKA
ANNO HOMINIS DEI. 974.

IVDITHA I.
Boleslai I. Regis Polon: Vxor

Adesdum Rediuiuus Apelles,
Nõ trãsmarinis coloribus, inũctæ mulieris Vultũ;
Sed ad Simplicis antiquitatis Normam,
Viuam probi oris effigiem, daturus.
Quid enim prodest, mutuata à Corallio rubedine purpurari?
Aut cerussata facie, gemmeum candorem mentiri?

Qui

Qui Liciscarum, aut Laidum mos
O MATRONÆ!
Forma bonum fragile est.
Imbre, aut procellis, decussas videtis in mœnijs incrustationes
Virtus, veluti murus manet immobilis.
Innatum id Vestri Vitium, an temporis, haud affirmem;
Nisi quod priscis sæculis ignoratos fuisse fucos,
Cr.f.46 Patet Exemplo IVDITHÆ.
Hæc,
GEYSÆ Vngarorum Principis, Filia;
BOLESLAI Chrobri Regis Poloniæ, Coniunx:
Prima Reginarum fuit.
Vtinam ad hunc Archetypum norma sequentium:
Nam Cœlum magnum aliquid præstat, dum incipit
Pietas, Modestia, Clementia, Amor populi,
Cr.f.54 Augusti Vultus Lineamenta sunt.
Vetustissima Cassinatũ D. BENEDICTI in Caluo mõte Colonia;
Tum & Sieciechouiense Monasterium,
Prima Lapidis à Reginali manu iniectione, optimæ Reginæ
Pietatem testantur.
Cr.f.59. Patritij Iuuenes, nouissima pœnæ exempla meriti.
Iustitiarij Ensis inscio Rege subducti;
Clementiam celebrant.
Sciente,& gaudente viuere eos, quos præcipitãtius, damnauerat.
Felix Regnum, vbi non irritat scelera, conniuentia;
Et Lenitas cum Iudicio: retundit quandoq; rigorẽ pœnarum
Con-

Consummata in eo gradu IVDITHÆ felicitas;
Dum quantùm ipsa à Seueritate abest, tantùm Maritum
ad Clementiam flexibilem, nanciscitur.
Quam bene possessos mariti affectus disponit.
In Diui ADALBERTI, Martyris ac Præsulis, Cr.f.49.
Ab interfectoribus Prussis, redimendo corpore.
Rependit quoq; iusta lance DEVS.
Vt quæ cooperatrix egregij facinoris Marito fuerat,
In consortium quoq; Noui Decoris assumeretur.
CORONATA
ANNO CHRISTI 1001.
Cæteroquin, BOLESLAI ac IVDITHÆ
Nobile Coniugium erat;
Nisi tanti Herôés, ignauum Filium genuissent:
MIECISLAVM,
Moritur IVDITHA
Sub tempus Secundi belli Rossiaci
ANNO Ære Christianæ 1018 Cr.f.59.
Adeo, *felicitatis humanæ genius raro sibi constat*
Et, *fortuna vbi grauida*
Aut abortum facit, aut degenerem prolem
Largitur.

RIXA

Miecislai Regis Poloniæ Vxor.

Quorsũ Grammaticorũ per Antiphrasin Strophæ?
Propria rebus Nomina danda sunt:
RIXA Quid nisi RIXA?
cr.f.50. Hæc Hezonis Erenfridi, Comitis Palatini Rheni Filia,
Ambitiosus Theutonum Sanguis;
Cum dulces Aquæ Salsedinem contrahãt, vbi in mare illabũtur,
Hæc à Rheno Veniens,
Maluit innati fastus, quam modestiæ populorum
Quorum Regina meminisse,
Ita non semper animum mutat, qui Cœlum.
Arcanum tamen non vulgare
Vt Cerui noua quotannis cooptant Cornua: Ita Regnantibus, ad genium populi mores accomodandos
Non genus externum, sed ingenium, & forma Viuendi displicet.
cr.f.61. Coronatur RIXA An. Ch. 1025.
Neq; Sacrum Diadema, elatæ mulieris composuit animum
Vt nec frena aurata, efferum equum
Despicatui Maritum, contemptui Polonos habet.
Donec supra Rempublicam, ac virum se ferens; Exi-

Exilio tandem coerceretur. cr.f.61
Nam, *qui Virtutis amore, corrigi non uult;*
Formidine pœnæ adigendus.
RIXÆ tamèn
Quaten' Reginæ, piguit Polonos; Quatenus matris nequaquàm.
CASIMIRVS quippe RIXÆ Filius, cr.f.66.
Ex amaro Stipite dulce pomum, (cum tamen malũ mala gignat)
Extinctis cum pulsa Matre odijs, Popularium Amores
Prouocauit vsq; adeò,
Vt eum nec Cluniacensis Tesquæ latebra;
Sat occuleret.
Amor hic Polonorum fuit, non necessitas;
Vt quem nascendi ordine spreuerant,
Electionis serie quærerent:
Vbi ætas adest, ex se, non Genio Matris, regnaturum.
Natiua hæc Sarmatici candoris propensio:
Successionem directè nolle, nisi Electiuo Iure confirmetur.
Post hæc RIXA,
Quasi Sufficeret Optimum Polonis Regem genuisse,
Antequam Exul, deprædatrix Poloniæ fuit.
Dum, expilato Thesauro, Coronas aufert. cr.f.65
Quæ, quatuor fuit, Trium literarum dici, meruit:
Emptam ex Spolijs Poloniæ Salefeldiam possidens.
Moritur ANNO CHRISTI 1046.
Adeo nihil proiectè malum est; quod vsui esse non possit.

DOBROGNIEWA
ante Maria,
Casimiri I. Regis Poloniæ Vxor.

Vos omnes,
Quotquot inflammando cælibatui, Apostaticas faces adfertis,
Excucullatos Vertices, subdentes Trimonij iugo.
Paucis volo;
CASIMIRVS noster,
Mundo mirus, non tamen Exemplum vobis
Violati voti reis;
Hic,
Ex principe Exul, ex exule Monachus, ex Monacho Rex,
Ex Rege coniugatus.
Nubit MARIÆ,
Cr. f. 68 Wolodymiri Russorum Monarchæ, Filiæ,
Constantinopolitanorum Cæsarum Nepti,
Totum Orientem ea affinitate Poloniæ annexurus;
Nam, *Vicinorum Amicitia potentiæ firmamentum:*
Annuente Benedicto IX. Oecumenico Orbis Christiani
Præside,
Ab

Ab eo cui ritè Soluendi ac ligandi Claues creditæ sunt,
Vos ne Dypthæra quidem consulto.
Iam vero MARIA,
Non amplius eius nominis vsurpatrix,
Quod BENEDICTA in mulieribus gessit;
In DOBROGNIEWAM commutato,
Ne Maiestas appellationis, promiscuo vsu vilesceret.
Bene habet Poloni,
Qui Cultum MARIÆ Theotocos, ad literam vsq; obseruatis.
Grande piaculum Filiabus Poloniæ:
Diuinissimæ MATRI exæquari, Nomine.
Neq; te DOBROGNIEWA nostra, abdicari cum Schysmate
Nominis, pænitebit: Si Regis Cælorum MATREM
Venerata, humili abscessu, pro MARIA
Mitem-Iram te, nominari siueris.
Vtinam Reginæ Poloniæ Omnes *Mites-Iræ*;
Efferuescente Maritorum affectu, Oleum igni subtrahentes.
Coronatur DOBROGNIEWA, An. Ch. 1041. Cr. f. 68
A Stephano Toporæo Archipræsule Gnesnensi.
Quatuor illa Filiorum Parens;
BOLESLAI, VLADISLAI, MIECISLAI, ac OTTONIS, Cr. f. 78
Quintam præterea filiam, SVETOCHNAM
Vngariæ Regis consortem, genuit.
Sed ô *parientium non semper læta fæcunditas*!
Vtinam Primogenitus, Iuniores sorte moriendi anteuerteret:
Non vidisset dolens Mater, funestum Antistitis
Pastoricidium.
Etsi, *sæpe fit*

Vt

Vt pariat, prauos bona mater alumnos;
Et mala sæpe alit, Sanctos Mater vbere natos.
Quod tamen in maiori natu doluit,
Iunior pensauit.
Cuius felices in regimine successus vidit,
& grandæua adulto benedixit.
Cr.f.75. Moritur Annorum plena An. Ch: 1079.
Tantum ætatis non victura nisi Mitis-Ira fuisset.

ANONIMA
Boleslai Audacis Regis Polon: Vxor.

* * *

Meruit proiectæ audaciæ, Rex BOLESLAVS;
Vt, qui Sacratum Præsulis Verticem, ferro violare præsumpsit,
Nouus Actæon ipse, à canibus deuoratus;
Cr.f.85. Vxorem suam Historicorum calamo, decollari faceret.
Omnes, quicunq; tangere Christos Domini audent,
Ante Diras, cruda deuorat obliuio.
Itaq; & Vxor Pastoricidæ Anonymè posita;
Cum adulteræ nomen non reticeant Annales:
Loquax namq; per se, peccatum est; Ac vt à sono vocali,

Reper-

Repercussa Echo reboat;
Ita, *Regum Scelera, clarissonum Tintinnabulum.*
Izaslai tamen Kijouiesium Ducis filia fuit;
Cui Wizesłauæ nomen, solus Bielscius largitur
Reliqui truncatam nomine volunt.
Miecislaum ea filium enixa, octennio post Patris abitum,
Superstitem,
Vixisse patet, Mortuam constat;
Qualitates ignorantur.
Ne mirere Lector, Reginam Poloniæ sine capite,
Quia sine Nomine.
Adempto namq; Sacri Diadematis vsu, Occulit Caput,
Ne Reginam esse, & Diademate carere
Pudefieret.
Non opus maleficis campana:
Sua ipsorum facta, sonitum edunt.

IVDITHA II.
Vladislai Hermanni Prin: Pol: Vxor.

* * *

Et quis, *optimam coniugem, coronam viri* nõ dixerit!
Amissum Regij Capitis Decus, resarcientem
Inuenit

Vla-

Vladislaus Hermannus;

Poloniæ, Abrogato Regio Iure, Princeps:

A Vicina gente, felicibus auspicijs lectam, ac delectam,

IVDITHAM

Vratislai Boemorum Ducis, ac Adleidis è Regia, Vngarorum
Cr.f. 83 Stirpe, Filiam:

Fæminam

Augmẽto Eccl: Decori Polon: Populorũ leuamini, mariti Solatio,

Natam.

Comitatus Krobie

Quod opimo Censu, Comitetur Ecclesiã Cracouiẽsem, ipsa fecit;
Grauibus exactionibꝰ vt eximeretur Populus, ipsi debuit;
Nomen Polonum, vt per Orbem inclaresceret, perfecit:
Princeps Coniunx, ne in Matrimonio sterilis esset, per ipsam effectum.

Ite, legati Poloni,

Ex Voto Peregrinabundi;
Donec in Narbonensi Gallia, à Diuo Egidio non reiectis
Cr.f. 84 precibus;
Principibus Vestris Filium,
Vobis magnum Boleslaum;
Efflagitaueritis.

Decennis quippe IVDITHÆ Sterilitas;
Velabat Lasciuientis Zbignei, natalium vitium:
Nisi à DEO datus BOLESLAVS, obtinuisset.
Vt non solum Reginam, sed Matrem quoq; Almam,

Iudi-

Iuditham;

Veneraremur.

Nec vltra ambigendum;

A Cœlo dari, aut negari, Parentibus Solatia:

Quæ dum multi petunt, Non omnes sciunt quid petant.
Audit Cœlum supplices legatorum preces,
Fæcundatur bellaci partu noua puerpera,
Diutius victura; si non genuisset.

Breues Optimæ Matri Deliciæ:

Nisi quod Elephãto, decem annis grauidæ, Elephantem genuisse
Sufficit;
Etiam hæc parturiens Desideratissimâ Sobole conspectâ;
Dum Filius Oritur; Mater moritur. Gr.f. 85.

Rebus Polonis Theriacam,
Quæ è Venenatis confici dicitur, datura.
Ita, *disruptis Nubibus, decidunt fulmina;*
Et, *ignis, dum eliquat aurum, carbones consumit.*

Moritur IVDITHA. A. Ch: *082.*

Dum extendit manus ad pauperes, Nosocomijs, ac Orphanotrophijs plangentibus:

Vti diuitum, ita Matrum, misera conditio;
Quibus, suis bonis frui, diu non licet.

ZO.

ZOPHIA

Vladislai Hermāni Priñ: Polō: Vxor II.

* * *

Accendat Hymæneus nouas faces,
Malum est homini esse solum.
Cælibes olim, descriptis pœnis, à solitaria vita coerciti,
Quidni ij, iterata vota reculent?
Quibus, *à mutuo Coniugij bono, charitate; suaue iugum est*
Bona Vxor, amissi per peccatum Paradisi, recōpensa;
Ac, in hac ærumnosa vita, primum Solatium.

Quid si,

Non Vxori (*quod tamen est quādoq; malū necessariū*)
Sed ipsi nubas Sapientiæ?
Vt nupsit Vladislaus Hermannus
ZOPHIÆ,
cr. f. 81 Henrici Quarti Romanorum Imperatoris, Sorori;
Salomonis Vngarorum Regis Relictæ,
Viduus, Viduæ.
Non aliter successuro coniugio, nisi de pari.

Male illis,
Qui Silicernium ipsi Sunamitides adoptant;
Mox prædam Iunioribus relicturi.
Peius illis,
Quæ capulares Anus, superinducunt Iuuenta feroces Viros:
Non blanda manu, sed fuste depexæ, Veneri litaturæ,
Diris deuotæ, Antequam Mortuæ.
ZOPHIA Viro coættanea,
Trium Filiarum Mater, Polonis Venerata,
Diutinâ commansione marito fida:
Humanis abit. Anno Ch: 1103.
Nullo Encomio à nostratibus scriptoribus celebrata;
Sat tamen Laudum habitura, vbi non vituperatur.
Neq; sæculo, in narrandis Heroicis factis, ieiuno,
Succense Lector;
Intenta tunc factis Polonia, Literarum incuriosa fuit:
Diuerso præsentis Sæculi tenore;
Quod abundat literis, facta desiderantur.

ZBISŁAWA

Boleslai Crywousty Prin: Pol: Vxor, I.

Paranymphi Poloni,
Aptate pompam, Magnifico muneri Párem;
Roxolanum Gynæceum, paciſcendæ Sponſæ, inuiſuri.
Interim,
Dum annulum, huic manui tranſmittendum, peritus artifex fabrefacit;
Iam ZBISŁAWÆ nomen, maiorumq; Ceras,
Pretioſo imprimens Metallo,
Alios ablegare mandatarios placet.
Expectandum tantiſper:
Donec veniat cum Signatoribus auſpex
A Romana inquam Curia
Cui ſi profundo obſequio, applaudit Sarmaticus Orbis,
Portæ inferi, non præualebunt aduerſus eum.
Quippe ZBISŁAWA,
cr.f.94 SWENTOPEŁCI Kijouienſium Ducis Filia,
Ex WOŁODYMIRO Monarcha Ruſſorum, deſcēdente Linea;
(Vnde & DOBROGNEWÆ maiori Amitæ, Sanguinis Origo)
Sobri-

Sobrina Sponſi,
ac Soror Coniugis ſui erat.
Sed Vtinam non allaboraret, ſub Canoniſtarum relaxationibus,
Contrahentium Sedulitas.
Specioſa nimis eſt, iniqua petentium Prætenſio;
Ita expedire.
Pōtifices tamē Romani, Patres Chriſtianitatis ſūt;
Filijs quandoq; ad improbanda annuentes:
Ideo conceditur, non Benedicitur.
Adeſt Myſta, ac conſanguineas manus ſtola ſtringit
BOLESLAI, ac ZBISŁAWÆ;
Affini Sanguine Sat iunctas:
Si ſe-iungeret, non improficuè in publicum bonum facturus.
Parentibus raro cum Solatio,
Proli nunquam proſperè, ſucceſſuris tædis.
Amantibus tamen *præſentia, non futura in animo ſunt.*
O Cæce Amor, dolorem non Solatium parıturus!
Ex hoc Matrımonio:
Cr.f.95. VLADISLAVS Monarchiæ natus, deſtinatus exilio:
Sciri vt poſſet, *ex vetitis coniugijs, nunquā ſecūdari prolem.*
Neq; licuit diu coniugibus Societate frui,
Bellis intento Boemicis Marito;
Moriente ZBISŁAWA, A. Ch: 1108:
Intempeſtiuum Amorem, præcoci Fato ſuccidente.
Nam, *quæ arbor, citiùs fructus profert,*
Citius amittit.

 ADLE.

ADLEIDIS
Boleslai Crywousti Prin: Pol: Vxor II.

❀ ❀ ❀

Pater Patratus,

Decidua ad imos vsque talos Toga,
Velamine, infulisq;, Romanum in morem indutus;
Eburneo Scipioni, Pacificæ Ramum Oliuæ, prætendens,
Præeat.
Hic,
Vbi cũ fecialib⁹, Germãorũ, quos Heroldos Imperij vocãt,
Congressus:
(Nam, *vt studia pacis, ita Munia belli*
Suis gradibus, ac Officijs distinguuntur)
Hisce, obuios prior affatur.
Quandoquidẽ Germani, nec insuperabilis virtus Polonorũ,
Nec fortuna Principis Nostri, deniq; non clades ipsæ
Vestrum: Libidinem in vobis supprimunt bellandi;
Ea saltem consilia,
Quæ Paranympho Marte, ac pronuba Bellona adferimus;
Saniorem mentem duint; *Recon-*

Reconcilient irritatos acerrima hostilitate Animos:
Connubij Iura.
Et hæc, in sanguineam Procellam, eruptura tempestas;
Noua affinitate dirimatur.
Sponden ne?
Cr. f. 105. Adleidem HENRICI Imperatoris Vestri Sororem;
BOLESLAO Polonorum Principi?
Hærent ad hæc Collocutores anxij, ac præ gaudio obrigescũt:
Nam, *vehemens quandoq; affectus, stuporem inijcit;*
Donec quæ petituri ipsi erant, Ouantes propositis Subscribunt.
Ac quô
Diuturniora duplicis nexus ligamina forent;
CHRISTINAM Cæsaris Filiam,
Impuberi BOSLESLAI Filio,
Obstringendis eo additamento Polonorum Animis;
Pactis adijciunt.
Dos dicta,
Inter vtramque gentem, cessantibus armis,
Generalis Pacis institutio.
Non imprudenter facturi Germani,
Si in Canino Cãpo, cõgressum; præsens colloquiũ anteuertisset.
Verum, *pronius in fœdera côeunt, perpessi, armorũ damna,* Strada
Non iam Roma iactet Sabinas suas, Liuius
Congredientium hinc Patrum, illinc Maritorũ, ictus inhibẽtes;
ADLEIDIS Nostræ:
Longè clarius Exemplum; vt quæ, non fecerat bellum,
Finiret.

Diu sterilis illa, ac planè desperatæ fæcunditatis
Deliberabunda egit, an mater esset; metu Priuigni Regno nati:
Donec resoluta mente post decennium,
CASIMIRVM, BOLESL: MIECISL: HENRICVM ac CASIMIR: alterum
Cr. f. 195 Filios Pariens Quinq;,
Vltra quàm Horatios Roma;
Monomacho Fratri, objceret
Non magis itaq; multiplicibus Triumphis, quã filiorũ numero,
Felix BOLESLAVS.
Victorijs nomen Polonum celebre fecit,
Filijs Thronum Sarmaticum stabilijt.
Nisi quod, *nimia quandoq; fecunditas, arborum, ramis onerosa.*
Et, *pluralitati liberorum si Regna partiri velis;*
Rumpas, non diuidas
Non malè quispiam, picto Horologio, indidit Lemma;
Vni reddatur: Regnis apprimè quadrans.
Iam verò ADLEIDIS, tam de Polonis merita quod plures;
Quam si nullum genuisset Filium.
Circiter Carnis Soluta Ergastulo A. Ch: 1140.
Male Humanis ingeniis consuluit natura, quæ seu supra,
Seu infra Vota, alea cadat, cum Cælo rixantur.

CHRI-

CHRISTINA
Vladislai II. Principis, Poloniæ Vxor.

Ad hanc, neq; Piramidem, neq; Colossum,
Sed exesum vetustate obeliscum:
Quotquot prærogatiua sexus abdicata, Vxorum
Subiacetis Imperio;
Euirati Mares, Date nomina.
Vac?
In cuius Summo apice, Hercules:
Seposita claua, ac Nemæi Leonis exuuijs, fibra laxata;
Heroidi Iòlæ,
Dispensat Stamina, concinnat Glomos, fusos subministrat;
Ex monstrorum Domitore, mancipium.
Insuperabilis siquidem, *post duodecim exantlatos labor:*
Mulieri non subijci.
Paulo infra, (Cr. f. 195
VLADISLAVS CHRISTINÆ suæ, Imperijs obnoxius;
Et cui non Amor, non odiũ, nisi indita, & iussa,
Connisa CHRISTINA.

Vt,

Vt, quia Imperatoris Filia erat, Mariti quoq; Imperatrix esset.
Quæ dum subiacere debuit, supra se posuit:
Ac, præiudiciosum Histeron-proteron fecit.
Viri equidē, si ad Tirannidē deflectunt, per momēta ac gradus,
Tirocinium crudelitatis deponunt.
Mulier, vbi sæuire incipit, in Superlatiuo pessima est.
Læuiri Principes,
Patrimonijs exuti, post appetiti; bello amantis Fratriæ effectum; experti.
Quos miseros fecit, vt suplices haberet;
Reiecit supplices, Iterum miseros factura.
PETRVS Dunin,
Illud Sæculi sui decº, elinguis ac exoculatº, demētiā ostēdit.
Verū, poterāt immiti manu erui Oculi, aut exscīndi līgua
Viro egregio;
Innocentia, ac famæ perennitas, exscindi non potest.
Iste Seneca, inuenit suam poppeam.
Poloni,
Conclauibus, aspectu, ministerijs abacti, addictā Reginā testātur;
Nihil liberis pectoribus grauius, quam contemni.
Satin? Salua Pudicitia an Christina vixerit?
Sub iudice, Lis est:
Cr. f. 113. Nisi exprobrato DOBIESSIO, Diuinij locus, suspicionis
Rima intromissus; locum fidei in vulgo faceret.
Nam, *rumores plerumq;, multum à Vero trahunt;*
Vt nebula à humore.
Et, *affinis est, violentiæ, Libido.*

Quid

Quid ad hæc, stipes VLADISLAVS?
Vt, à paruo Ethiope Elephas, ita ille, ab imbelli ducitur, muliercula;
Cæcorum in morem: Vbi ducenti libuerit, protrudendus.
Protrusit equidem,
Porrigens perditionis pomum Vxor;
Non iniustè, vt qui, virum se non meminerat;
Monarcham obliuisceretur.
In exilium, cum vxore, liberisque eiectus;
In exilio, cum sua consultrice, mortuus.
Moritur CHRISTINA, A. Ch: *1163.* *Cr. f. 114.*
Aldemborgi in Germania.
Quàm verò multi, Prioratum hunc;
Et quod, pro Capite, Vxorum Suarum, constituti sunt:
Vilius Primogenitura, Esau perdiderunt.
Sed quorsum turba ruis?
Vniuersorum describendis Nominibus?
Qui non masculè Vxoribus subijciuntur?
In suffecturo, in Obelisci Base, spatio.
Qui tamen illi,
Ex supposita Alphabetica Literarum serie, noscendi.
Abcd &c. &c. &c. xyz. &c.
Si quem contra naturæ Ordinem, seruitutis pudet;
Excute iugum, & Erubesce,
Aliter Ouum D.D.D.

D ANA-

ANASTASIA

Boleslai Crispi Principis Polō: Vxor.

❁ ❁ ❁

En, gratum oculis vestris Decorem,
O Puellæ!
Crispam Venusti Principis Cæsariem,
Non ascititia hæc, sed natiua BOLESLAI Coma facit.
Vt, quemadmodum, â glabro vertice Calui;
A prætumido ventris gestamine, Crassi;
Ita hic, â Cincinnis suis, vocitetur Crispus:
Laboriosum hoc Capitis Decus.
Quo tamen Hamo, oculi Fæminarum maximè capiuntur;
Viros ostendit, ac discernit:
Etsi, *ferro capillum adurere, non* planè *virile*,
Ac, *Emptitiis pilis superbire, vanum* sit
In modum Noctuarum, quæ intus strigosæ, marcidæque,
Superficie tenùs plumarum congerie, intumescunt.
Hac formæ elegantia,
Venustissimam Tori comparem allexit
Cr. f. 131. ANASTASIAM,
WSEWOLODYMERI Principis Haliciæ filiam,
Matro-

Matronali tamen pudicitiâ, formam superante.
Res prodigio Similis, pulchritudinis cum honestate Sympathia:
Vt ille ait. *Lis est cum forma, magna pudicitiæ.*
Eminuit vtroq; ANASTASIA, vt dubitaretur: honestasne
pulchritudini? an pulchritudo, honestati prædominaretur?
Hoc
Concordissimum par coniugum, sine quærela vixit;
Correspondente Animorum harmonia:
Nolle dominari, & velle subijci;
Quæ nisi adsunt,
Malè coharere dextras, etiamsi rudente cōstringas, non stola.
Alterum *mutui amoris incitamentum, Proles:*
Quæ vbi *â Deo data, ab vtrinq; conglutinatis affectibus,*
constantissimæ fidei, vadem, dat accipitq;.
Felix vtroq;, nostra
Fæcunda Mater, concordissima Coniunx,
Amata; & Amans;
BOLESLAVM, BOLESLAO, gignit:
Sed dum alterno partu, gratū marito pignus, edere satagit
Obstetricante non Lucina, sed Libithina;
Pro natalitio epulo, Agape dedit.
Moritur ANASTASIA, A. Ch: 1158. Cr. f. 134
Accessit materno funeri, maioris natu filij, præcox fatum;
Geminato doloris ictu, cor BOLESLAI feriens,
Ita, *indiuidua calamitatum concomitantia est,*
Et vna aliam trahit.

HELENA

Boleslai Crispi Principis Pol: Vxor II.

❁ ❁ ❁

Cur ita solitariè, vitam traducis BOLESLAE?
Ac principalis Tori Coloniam, Orbam, pateris?
Maritando Monarchæ,
Si author displicet alius, intima saltim *acceptanda consilia.*
Vrgent Fratres, petunt, suadent,
Omnia Principibus ad famam, & necessitatẽ Regnorũ, dirigẽda.
Quid ni, *Connubia?*
Quæ, *inter priuatos ex placito, inter Principes ex vsu, ac commodo Publico, sanciuntur.*
Accipienda Vxor est;
Fundãda Liberis Domus, parãda præsidia ex Amicis Polõ:
Tu ipse, quò pluribus munimentis insistas:
Precario regnat sine hærede Princeps *Nemo non reueretur eum, in cuius circuitu Filij, tanquam nouellæ Oliuarum.*
Vnum habens, nullum habere putes.
Sæpiculè hanc *Vnigenitorũ segetem, Fatũ in herba opprimit.*
Itaq; BOLESLAVS,
Quia, *(facile boni salubria admittunt consilia)*
Nubit

Nubit HELENÆ, *Cr. f. 191*
ROSCISLAI Præmislien: Ducis Filiæ;
Quæ:
Eliminando veteri veriverbio,
Dos est vxoria, Lites;
Quò strictiùs animo, corporeq; vnita conuiueret marito;
Patrio Russorum Schysmati, Palinodiam canit.
Huius Cai, non aliter Caia;
Hæresis quippè ac Schysmata, vlcerosum Apostemma:
Diuortiatis animis, si coniungunt Corpora,
Inficiunt
Verum vt, *nihil in humanis stabile reperias;*
Coniugum,
Optimè conuenientes Animos, Quos Deus coniunxerat;
Separat Fatum.
Morienti BOLESLAO, optima Coniunx, Oculos claudit;
Proprios inundans fletibus.
Nam, *quæ tenerius dilexerimus, acerbius deflentur.*
Orbitas etiam *omni fortunæ ictu maior est.*
Et, *prout quisq; eminentius stetit, ita calamitosius cadit.*
Ac, *magnæ miseriæ, magna felicitas Soror.*
Orba igitur ac Mæsta HELENA,
Explet magnum Diem. A. Ch: 1167. *Crdin*

EVDOXIA

Miecislai Senis Prin: Polõ: Vxor I.

* * *

Huc MATRONÆ,
Manibus date Lilia plenis;
Ac, vno die natis, periturisq;, floribus, Rogum cõspergite.
Quam transitoria vitæ humanæ Catastrophe:
EVDOXIA Documento.
Sacra Pagina informat. *Dum adhuc ordirer succidit me.*
WSEWOŁODYMIRI Ducis Halicien: Filia,
Cr.f.131 ANASTASIÆ BOLESLAI CRISPI Vxoris Soror,
MIECISLAI SENIS Principis Maioris Poloniæ, Vxor.
Euanidum momento sidus, Breues Mariti Principis Amores,
Pullæ vestis, vtriusq; Aulæ occasio,
Fuit.
Sesqui Anno Coniunx, perpetuum desiderabilis,
Prolem Marito non genuit, mærorem reliquit,
Præmaturo Obitu id agere visa;
Vt degradati Viri ærumnas anteuertens, sufficiendæ alteri
Locum daret.

Alijs

Aliis quippe *modesta placent, molesta aliis.*
Et, *pleriq; carpere rosas abnuunt, aculeis pungi cauentes.*
Extingue iam Cupressinas faces Marite,
Hæc Pyra, vorace flamma non eget;
Vixi coniunx, aduersum te cum fide:
Et, quem dederat cursum fortuna, peregi.
Abij maturè, non Polonia modo, sed vitâ.
Cælum citiùs coloniam habitura.
Iniquè accusat Fatum, qui celeriùs metam attigit.
Moritur, mirante, simul ac plorante, MIECISLAO;
Anno Ch: 1144.
Abite MATRONÆ:
Et ex meo rogo, hoc hortamentum, capite; Rogo:
Reliquas virtutes, vtcunq; fæminis dissimulari,
Castimonia gloriandum.

GER-

GERTRVDIS

Miecislai Senis Prin: Polon: Vxor II.

Requisitus olim Diogenes,
Quodnam censeret tempus magis aptum, vxori ducēdæ;
Doricè respondit:
Iuueni inquit *nondum, Seni nunquam.*
Senex tamen noster, non iam pruriente Canitie, sed moribus,
Aptat Hyemem messi; id est: prouectam ætatem, nuptijs;
Nisi mores magis, quam anni, Senile nomen indiderint.
Dum, Sociam Tori capit,
Cr. f. 331 GERTRVDIM,
Bellæ Vngarorum Regis Filiam,
Ex Auriferace Regno, Fodinas habiturus.
Sed posterioris sæculi felicitas hæc, abstrusos sub terra
Thesauros, in Poloniam illâc, transportare.
Eccur tamen per dissitas Orbis plagas, quæritat Coniugia?
Costam fortè, in formatione mulieris ademptam,
Quæsiisse dixerim.
Nisi vero similius sit,
Toties Regno pulsum, iterumq; receptum Monarham, Subsidia
Malè fundatæ dominationi, à Soceris Generisq;
Inuestigasse.

Siqui-

Siquidem Polyticum Dogma est. *Coniungi duos, vt coniungantur Plures.*
Multiplex tamen *Praxis, raro Verum aphorismum ostendit:*
Inter tamen exilij mala, benè Concors GERTRVDIS,
Ac, aduersum Calamitates Æquanimis;
Exemplum *Vxoribus* dedit: *Maritorũ qualemcunq; fortunã Tolerandam;*
Eoq; vultu Austros, quo Fauonios, accipi debere.
Duorum Filiorum Mater fuit, Cr. f. 331
OTTONIS ac STEPHANI;

Quæ,

Toties, in hoc Theatro Orbis Poloni, Maritum permutātē
Scænas videns:
Ærumnosæ vitæ, finem præelegit.

Valedixit Orbi, A. Ch: 1158.

Non amplius Comica Princeps,
Cui, potior Tragædia Fati, visa est.

E ADLE-

ADLEIDIS
Miecislai Senis Princ: Polō: Vxor III.

❁ ❁ ❁

Quid ita baccharis Trigame Senex?
Itane decrepito delirare placet?
Intensior cupidinis Arcus est, Quam vt *Senili manu*
aptè torqueri possit.
Ac, tot annorum, *effetæ vires, malè cum Venere luctantur.*
Quæ bello est habilis, Veneri quoq; conuenit ætas;
Turpe, senex miles, Turpe, senilis amor.
MIECISLAVS tamen, nomine, reque Senex,
Martis simul, ac Veneris Pullus
Inserit dextram, puellari manui (inuisum credo pignus)
Neosponsus Senex,
Gr. f. 133. ADLEIDI,
Friderici Romanorum Imperatoris, ex Sorore Nepti,
Iterum iterumq;, recidiua Coniugum funera:
Nouo Hymænæo solaturus;
Fatali sibi Ternario, vt, qui esset

Ter

Ter Monarcha, Ter Marit9, Ter Exul.
Tres Orbis plagas, affinitatibus complexus;
Rusiam, Hungariam, Imperium.
Tres Filios Gignens,
Totidem, ex tribus Filiabus, nanciscitur Generos;
SAXONEM, LOTARINGVM, ac POMERANIÆ Duces.
Quid vltra Polygame?
Foßores viscera terræ scrutantur, vt Aurum eruant:
Ita, tu, vxores alias defodis, Nouas dotes effossurus.
Desine, sat ter Delirasse;
Nisi quarta Proserpina placet.
ADLEIDIS tamen,
Inter pleraq; infortunia, & Ciuile bellum numerauit;
In quo:
Vulneratum Maritum, doluit; Cr. f. 154.
Interemptum BOLESLAVM Filium, fleuit;
Ademptam Monarchiam, indignata est.
Itaq;, illa
Nec laudari debet, nec vituperari potest,
MIECISLAI Mariti ferocia;
Seu benè, seu malè facta: Vxoris obumbrante,
Lucis vsuram deponit. A. Ch.

 Con-

Conſidera Lector,
Vitã humanam eſſe vti Sertũ, varijs florib⁹ variegatum;
Ita hanc, nunc aduerſa, nunc proſpera, interpolant.

HELENA
Caſimiri Iuſti Principis Polõ: Vxor.

❁ ❁ ❁

Æquus olim arbiter Paris,
Adiudicato Veneri Pomo; HELENAM mulierũ formoſiſsimã,
Coniugem, ſortitus eſt.
CASIMIRVS noſter, IVSTVS quoq; fuit;
Pomum tamen, an pro ſua HELENE dederit, ignorat
Sarmatia.
Nàm, quia, empta Lædeæ coniugis Societas, ideo vilior;
Carior, Roxolanæ noſtræ; quia, non vendibilis.
Amicitiæ ſiquidem (si fas dicere) *merces,*
Seu emas, Seu Vendas, enorme Sacrilegium.
Niſi, quod palam eſt:
Fertiliſsimam Sarmatiæ portionem Roxolaniam,
Martij populi Seminarium; Pænu belli ac pacis,
Diu, & acerrimè cũ Polonis conflictatã, donec poſitis armis,
per

per fædera Sacra profanaq;, amicitiam, bellis diuturnis
Permutaſſet.
Dirimentibus arma, vel fecialibus, vel Paranymphis.
Quid non fecit Polonia, in eo cum Ruſsis pugilatu?
Sudauit, & alſit.
Eo fine, deſponſata CASIMIRO
HELENA,
WSEWOŁODÆ BEŁZENSIVM Ruſſorum Ducis Filia; Cr. f. 137
Vt, bellorum imbres Sanguineos ſiſteremus, inter Conſanguineos.
Hæc IVSTI noſtri, non INIQVA Vxor;
In mores Coniugis, immigrauit
Placida, Prudens, Modeſta.
Vt enim, *ad exemplum Regis, populus;*
Ad normam Præceptoris, diſcipuli;
Ita, ad mores Mariti, Vxor ſe conformet:
Non aliter, niſi ita vnum Corpus factura.
Vir *caput* eſt;
Hoc, *ſi aliquando laborat, aut inſanit, patiuntur membra.*
Quid ni ringatur vxor, Marito quandoq; deerrante?
In capite rationis ſedes,
Quid? ſi hic Sol, ſuas Ecclypſes patitur,
Ideo, Regione & Sphera ſua, exturbandus?
Ea HELENÆ morum norma fuit;
Modeſtiâ Amorem prouocare, in Certamine
mutuæ charitatis.
Iuſtus enim, vt Sacra pagina infit, *Septies cadit;* Cr. f. 152.
Semel noſter,

 Sed

Sed illa, Amorem Zelotypiæ præhabens,
Suſtinuit tulitq́; , ſine querela, ac iurgio;
Contentiones quippe, *malè corrigunt Animos, imò accendunt*
Vt flatus ignem
Huius tamen Matrimonij CASIMIRI ac HELENÆ pignora,
LESCO ALBVS, CONRADVS, ac SALOMEA fuere:
Prior modeſtiâ, poſterior Sanctitate, illuſtres;
Medium, ſua, aut vxoris crudelitas, nobilitauit.
Iam vbi, fatali taxico, CASIMIRVS ſublatus,
LESCO filius, ex ratione annorum, habenis impar
HELENÆ Matri, Regni, Filijq́;, cura, incubuit;
Secundum Polonis, poſt Vendam exemplum:
A muliere gubernari.
Qui RIXAM expulerant Poloni, HELENÆ ſe ſubiiciunt;
Probatioribus HELENÆ, quam Rixæ moribus:
Non tàm fœmineum Imperium peroſi, quàm perſonam
Imperantis.
Verum, *lubrica muliebris Dominatus via eſt.*
Imbellis à ſeipſo ſexus, quid, ſi in lapſum impellas?
Cr.f.16. MIECISLAVS ſiquidem,
HELENAM blanditijs, Leſconem crepundijs, delimens;
Ter perſonas mutare, coegit.
Non omnis quippè, *nec ſemper, fœmina vulpizat:*
Ad inania pauida, Ad incerta credula;
A leuiro namq́;, ac Filij Patruo
Seducta,
Facile fidem habuit, pollicenti ac minitanti,
Aeq́;

Aeq́;, imprudens dum timet, ac dum credit:
Donec Fato,
Ad æternitatis Porticum, euocaretur. A. Ch. 1221.
Scire expedit,
Virorum famã atriùs decolorare aſtutiã, quàm fœminarũ.
Nam, *viri à vi dicti, aut virtute.*
Mulier *quaſi mollior, dum manu nequit,*
Non ita magna infamia, peccat;
Si vulpem induit.

GRZYMISŁAWA
Leſconis Albi Principis Polõ: Vxor.

❊ ❊ ❊

In occiſi nonnunquam Leonis faucibus, mellificatæ apes
Fecerunt, vt de forti egrederetur dulcedo.
Nam, *niſi fracto nucleo, nuce potiris.*
Priùs ferro ſternendi, Rusſici Exercitus erant,
Captiuandi malè fœderatæ gentis Duces;
Vt, poſt atrox claſſicum, Nuptiale Carmen caneretur.
Ecquis putaſſet bello captiui Filiam?
Victorem vinctum, in Triumphum Amoris ducere
GRZI-

Cr.f.167. GRZYMISŁAWAM,
Iaroslai Ducis Rusiæ F. eliberandi Patris lytrum,
Staturæ pactis Rusiæ vadimonium.
Neq; tum Lelio opus erat,
Impediendis inter Maslanissam nostrum,
Ac Roxolanam Sophonisben, nuptijs,
Copulantur, imo conglutinantur;
In binis corporibus, concordissimæ mentes.
Vsq; adeò,
Vt, dum bonam prolem proferre optant, Sanctos genuerint.
Quid non operaris Concordia,
Discordia cuncta pessundante?
Hoc plusquam Gordio modo, colligatum Par.
Heu?
Atrox Pomeranici siccarij discidit manus,
In balneis Gassauiensibus, interempto LESCONE, Cr.f.171.
Vulnerato letaliter HENRICO Silesiæ Duce,
Iste, ab ingratitudine ictus;
Supra mensuram aliorum, crescentis Aulici,
Vt, *opimior pastus, calcitrantia redait iumenta:*
Ita, *nimia munificentia Regum, efferat beneficiarios.*
Crediderim equidem,
Dum, lauantis mariti Fatum, GRZYMISLAWA audit,
Nescia tolerandi:
(Vt *sunt, molles in dolore mortalium animi*)
Lumina, in geminos lachrymarum fontes, resoluisse;
Ablu-

Abluendis mœsti cordis amaritudinibus.
Iam verò, nouum Polonia instaura Orphanotrophium;
Quo Orba mater, cum minorenne filio BOLESLAO,
Crudeli Tutoriæ Conradi Patrui, eximatur:
Qui,
Fratriæ infest᷒, nepoti imminens, Reipubl: grauis,
Iustum Hæredem deprimit, se, vt inuasor attollat,
Matri Filium eripit, Filiastro Monarchiam vt adimat;
Enormi ausu,
Regni hæredem, & Principis Matrem,
Optimus Tutor, Czyrscij carceribus includit. Cr.f.171.
In quo ergastulo, animosa Heròis cum filio clausa,
Hisce paruulum suum affatur:
Nihil est mi puppe quod apprehendas, ac ita deploratam Status tui fortunam arbitreris: dum paterno Solio exutus, intra hos Cancellos subsistis, ferendum nolis velis patienter est.
Quippè, *vt horologij cursus, manu humana impellitur, aut retinetur. Ita suprema potestas, quæ supra Reges est, Citiùs aut seriùs, Habenas Regnorum, tradit, aut adimit.*
Patruus est, Potentior est.
Ferenda iniuria, aut dissimulanda;
Donec Diuinæ ordinationis edicto, te quoq; Principem Capitolium Polonum ingredi, placebit.
Inter hæc tristium, lætorumq;, miscellanea;
In manibus Religiosorum, quos dilexit:
Inter gemitus egenorum, quos sustentauit;
Dolorem populi, quem blandè fouit:
Extinguitur Zauichostiæ.
F Anno

Anno Ch.
Benè Precare
Numerosa Diui FRANCISCI Asisiatis Familia, Fundatrici tuæ: Quæ nouos Christianæ pietatis Colonos, E Pragensi inducens municipio,
Fecit;
Vt per Poloniam, in vinea Christi, non laboraremus operariorum inopia.
Approbat mundus, quod dicit Ecclesia;
Fæmineum sexum, deuotum.

HEDVIGIS

Henrici Princ: Polō: ac Silesiæ, Vxor.

Ætas hæc, Sanctorum est:
Ac, vt fatali quadam reuolutione, steriles annos, successiua compensat fertilitas;
Ita, per sæculorum seriem, non modo alij homines, Sed mores recurrunt.
Diua HEDVIGIS documento;
Cuius

Cuius Sanctimoniam,
Non generis fastigium, non Purpuræ fulgor,
Concusserunt.
Inter mundi illecebras, Ac fortunæ fallacias, Quæ sæpè malorum irritamenta sunt;
Immobilis stetit.
Illa, BERTHOLDO Croatiæ Duce, ac Morauiæ Marchione,
Genita; Cr. f. 167
HENRICI Barbati Pol: ac Sil: Duc: Coniunx;
DEBORA Poloniæ, aut meliori Iure
SIBYLLA Sarmatica;
Futurorum præscia, prædicensq́;, sed, q́uæ funesta
Vaticinia, à Domo sua ordiretur:
Marito, Filijs, Nepotibus,
Dolenda prædixit; Prædicta aspexit, visa non doluit.
Octauum mundo miraculum, constantissima Mulier
Non iam Sypillæo marmore, sed caucaseâ rupe
Durior:
En, in Gassauiēsi Conuētu, Maritus enormiter læsus, Cr. f. 178
Ad mortem adigitur;
Quid ni timorata Vxor Præficam agis?
Aut pullo Syrmate inuoluta, funebres planctus cies?
Vt, solitò mundus Libithinæ litare solet;
Hoc doloris ariete, HEDVIGIS immota.
Post, CONRADVS Filius.
Dum ferus adolescens, feras consectatur; ferali lapsu,
Equo excussus interit;

 Si

Cr.f.165 Si mater es, illachrymare!
Aut, dic Næniam!
HEDVIGIS immota.
Mox, HENRICVS pius,
Subſidium generis, Ditionum hæres,
In campis Legnicenſibus, pro gloria Crucis, contra
Cr.f.187. Myriades Scytharum, acerrimè depugnans, occumbit:
Mater, ſicco oculo aſpicis!
Non ploras!
Non licet (inquit) *aduerſari Ordinationi Altiſsimi*
Ita volentis, ac Iubentis.
Proruite Viri, turres, ac mœnia, *mulier: quæ ſui*
Victor eſt, Fortior eſt.
Quid ni verò *mundum vicerit, quæ naturam vicit?*
Imò vtrumq; calcauit;
Faciliùs Deo vacatura, abiecta mundi Sarcina.
Valete æſtimata mundo crepundia,
Perſonata tranſitoriæ felicitatis Scæna,
Magnificum nihil.
Tu mihi Trebnicia SALVE,
Læta, Libenſq; Licitor,
Solium Clauſtro, Tyaram velo, Purpuram Cilicio,
Permutatura.
Intrudantur aliæ monaſterijs; hæc ſeipſam intruſit:
Gratioribus Deo votis, vbi ſpontanea.
Male plerumq; etiam *Deo ſeruiunt, coacta ingenia.*

Ita HEDVIGIS abdicans terreſtria, cæleſtibus aſſumitur.
Anno Ch: 1243. Sepulta Trebniciæ. Cr.f.190
Quod candens Lilium,
Dum, viginti tribus poſt mortē annis, odorē miraculorū ſpargit;
à Clemente Rom: P. M.
Contubernio SS. adſcripta.
Diſquire quiuis, (nàm extra captum meum eſt)
Ærumnæ nè, quas in Matrimonio conſtanter tulit?
An Monaſticæ vitæ rigor, quo, ad miraculum eminuit?
Sanctitatem conſummauerint?

CVNEGVNDIS

Boleslai Pudici Principis Pol: Vxor.

❋ ❋ ❋

Huc, quotquot fautores, Coronata pudicitia agnoſcit;
Mentem Animoſq; intendite.
Magna Trium inſtituuntur Parallela,
Ex traditione Hiſtorica:
GRZYMISŁAWA bona, Melior HEDVIGIS, Optima CVNEG:
Iſta quod genuit, Hæc quòd natos nō doluit, illa quòd nō peperit;
Tres, tria ex coniugio capientes:

Vna dolorem, Altera angorem, Tertia lætitiam;
Siquidem,
GRZYMISŁAWA Ærumnas matrimonij pertulit:
HEDVIGIS Experta abdicauit:
Cunegundis Elusit.
Inspicitè Matronæ lancem, quam non omnes peperisse iuuat;
Sæpè, in hoc statu Matrimonii, vt, in Gallilæis Nuptiis,
Vinum non habent:
AC, *extemporaneum solatium, innumeras parit amaritudines.*
Cr.f.182 Cunegundis, seu Kinga,
Bellæ quarti Vngarorum Regis Filia,
Cum BOLESLAO pudico, in sacra fœdera descendens,
Sororia magis, quàm vxoria dilectione conuixit.
Prouocate Symphoniaci, molli cantu, Conuiuarum hilaritatem,
Ac, inundante mentes Phalerno madentibus mensis;
Libentur pocula faustæ Veneri,
Istis, castissimum par, non eget.
Siquidem BOLESLAVS,
Cr.f.230 Quam modo fœderatam Tori sociam accipit; Eandem perpetuò conseruandæ Castitatis, impultricem habet:
De die homines, De nocte Angeli;
Ad apparentiam coniuges, in spiritu separati.
Non sola iam CÆCILIANA Harmonia, mulceat cælibum aures;
Dum, & sonorum KINGÆ Castitatis barbiton,
æmulo facto, vocaliùs audit.
Nam, *egregia facta in priuatis laudantur. In Principibus personis, pro Miraculo habentur.*
Proceres Poloni,

Offerte

Offerte nouæ nuptæ munera, vt mater sit:
Ast Deus, pro illa, vobis donum offert; vt Virgo maneat,
Vt salem habeatis, euiscerare Hungariam necessum.
Hucusq; insulsa Polonia, Cr.f.198.
Nisi condiendæ salem CVNEGVNDIS mirificè impetrauisset;
BOCHNIA primum, A. Ch: 1252.
Post,
VIELICIA, A. Ch: 1309. Circiter.
Pandunt celatas opes, & CVNEGVNDINA parapherna,
Suppetunt tot annis manibusq;;
Dehiscit eruto sale terra, struicibus grandiorũ arborũ, fulciẽda;
Superpositis tabulato, velut oppidis, pomerijsq;:
Mirabiliori opere, quam pensiles olim, Babiloniæ horti;
Vt, metuendum quandoq; sit,
Ne, ad Centrum terræ penetret fossor, vbi sedem inferni aiunt;
Aut perterebrato Elementi corpore, Antipodas
intromittat, in nostrum Orbem.
Hæc Aurifodinæ, hæc cornucopiæ,
Poloniæ sunt;
In dotem à fauente Cælo, Castissimæ Principi elargitæ.
Documentum Reginis,
Plura illi Patriæ debere, vbi viuant, quàm vbi nascantur.
Neq; satis CVNEGVNDIM, in sæculo castè vixisse,
Claustrum placet; Cr.f.230.
Molli purpuræ insuetas manus, religioso Gausapi inuoluendo:
Donec, optimæ vitæ, felicissima coronis mors esset.
Moritur in Monasterio Sandecensi:
Anno Ch: 1292. Sepulta Cracouiæ.

GRZY-

GRZYMISŁAVÆ statu, HEDVIGI vita, par;
Castitate, vtriq; potior.

SALOMEA

Colomani Regis Galliciæ Vxor.

* * *

Hactenus aduena Sanctitas solio Polono præsedit,
Nunc natiui flores germinant, Externis Thronis
Sanctos daturi.

D. SALOMEA

Cr.f.209. Ex linea magis quàm seriè, Principum Poloniæ,
BOLESLAI Pud: Soror, COLOMANI Galliciæ Reg: Vxor;
Dum, Polono Principi, Hungaria Coniugem, Pari nexu
Polonia, Hungariam obligat:
Virginem, pro Virgine, imò Sanctam, pro Sancta reddituræ;
Commutatiuum quippè *Ius est, quid pro quo dare:*
PRO CVNEGVNDE, SALOMEAM.
Felix Vicinis Regnis negotiatio, Sanctitatem mercari;
Non in omnibus nundinis, venali ea merce.
Hi Coniuges, ex pacto iterum
Votiuam sibi indicunt, concessæ voluptatis continentiam:
Neq; conseruandæ castitati, Eremitica latebra opus;
In

In sæculo, vnà, Domo, Mensa, Toro,
Integerrima Castimonia viuunt.
Cum tamen,
Liberiores intuitus, sermonum familiaritas, commansio,
attactus, oscula deniq;, pereuntis, ac iam
Morituræ Virginitatis, sint indicia.
Soleata ne, animorum vestrorum, coniuges, est firmitudo?
Quæ in hac lubrica, fragilitatis humanæ
glacie, non cespitat;
Aut extra mortaliũ sortem positi, humanis ignib⁹ non æstuatis?
O Rara, ac mira, Purpuræ felicitas!
Cui, ferè quæ libent, licent.
Verum triplex Delta, insidiosum huic Phænici virtutum,
Castitati;
Vt enim, *arridet pastus farinarum gliribus,*
Ita Dæmoni,
Diuitiæ, ac deliciæ, pro culcitellis sunt.
His ille libens incubat, in his volutatur:
Quæ vtraq; aularum essentialia,
Ad se pertrahunt, sequacem Dæmonam,
Vt Magnes ferrum;
Qui, à primis mundi Cunabulis, virtuti hostis;
Leui inculcat susurro;
Induere Bysso SALOMEA, *In Vita eius Fol. 56.*
Ac, contortum capillamentum, in cincinnos resolue,
Si placere Marito non curas, saltim, te ipsam vide.
Sapientiæ Caput, Gnosti, Zeanton,
G En

En Diaphanum, & nuſquam mendax ſpeculum;
Hoc referente, ſcies, quid Deo obtuleris.
(Ineptiunt quandoq; Sancti, & leuiuſcule labi, perfe-ctionis pars eſt)
S A L O M E A.
Fragili in vitro, ſuam ipſius miratur formam;
Vt candor oris, æmulatur niuium albedinem;
Vt innocenti rubore, ſuffuſæ genæ;
Scintillant gratiſſima luce, oculorum ſidera;
Venuſta labia, eburneis dentibus, pro vallo;
Aliorumq; membrorum, dùm in imagine attenta, hæret:
Senſit, periculoſum conſequens eſſe;
Proponi formam, & exponi pudicitiam.
Siquidem COLOMANVS è venatu reuerſus, eo habitu deprehēſam,
Stupet, miratur, deperit.
Reuiuiſcunt ſubiecto fomite, emortuæ flammæ;
Dum faciem venuſtam aſpicit, facem ſentit.
Iamq; præſenti igne, priora relaxabantur vota,
Caſtitas, Coniugio ceſſura;
Niſi, SALOMEA,
Tàm, incircumſpecta nuper, ſui miratrix, quàm nunc, depre-henſa fraude victrix, fracto ſpeculo, ſtratagema eludens;
Nihil, inquit, agis Marite,
Si tot annis ſeruata Deo promiſſa, vna hora euertit?
Itanè diutinæ continentiæ laurum, momento areſcere facis?
Reſume COLOMANE, Si vir es, animum,
Reddidiſti vota Domino, Cur infringis?
Ad hæc, obriguus Iuuenis,
Ac si, ſuffuſa frigida, iam iam triumphandum Cupidinem,
præ-

præcordijs, ac victoria, depulit.
Vndè, ille, in fama, SALOMEA, in gloria;
Vir, inter præclaros, Vxor, inter beatos.
Nàm defuncto Marito SALOMEA, reliquū dierum,
in Skalenſi D. FRANCISCI Monaſterio,
Deo dicans, Obijt. A. Ch: 1264
Liberiuſq; cecinit, Ode Pſalmi:
Dirupiſti vincula mea, Tibi Sacrificabo hoſtiam laudis.
Exuuiæ mortalitatis, repoſitæ Cracouiæ ſunt,
Vbi, in hanc diem, mirabilia operatur,
Dextera altiſsimi:
Collatis gratijs, ac beneficijs,
Ignaris, improbis, non merentibus.

G R I P H I N A
Leſconis Nigri Princ: Polōiæ, Vxor.

* * *

Non omnibus datur, adire Corynthum;
Neq; cunctis, ex pari, rem vxoriam ſortiri:
Diſpar Patruelium fatum docet,
BOLESLAVM, in vota perpetuæ caſtitatis, coniunx adigit.

LESCONEM, emortuæ virilitatis, vxor accusat.
CVNEGVNDIS, virgineum crinem, flammeo circumdat.
GRIPHINA, matronali ornatu abdicato, sertũ puellare præhabet.
Diuersa Victima,
CVNEGVNDIS Deo, GRIPHINA Asmodeo,
Illa:
Cr. f. 215. ROSCISLAI Bulgarorum Ducis Filia, LESCONIS Nigri,
B. f. 189 Principis Poloniæ Vxor
Ostendit, *non procul querenda esse coniugia;*
Et *climata Orbis, vt situ, ita moribus differre.*
Hos inter coniuges, malè conuenit;
Mitiore viro, quàm vt mores suos, ferox Tullia, probaret:
Equidem,
Adeò rigida exactrix, vxorij debiti fuit, vt Maritum Principem,
Palam eneruem, ac nullo in venerem ausu, accusaret.
Commota ad malum contentæ mulieris querelas, tota vicinia,
Nam, *crocitantibus coruis, clamosius animal fæmina*
Semper garrula, nunc *quærula.*
Accurrite componendo dissidio, vicini Principes!
Malè concordes in lecto coniuges, rixantur, nè Domus, imò Regnum fatiscat!
Accurrunt sanè,
Cõniuere suadẽt, silere rogant, repensurum neglecta pollicẽtur;
Donec dirimendæ liti, Cupido sedatus,
Iudex datus:
Non quantum illa velit, sed quantum iste possit;
Decerneret
Ex mente Crassi P. & Longini Me: Iur: Consult: Clarm:
Quod si, debita eiusmodi, pœna colli punienda sint;
Raras

Raras Hypermnestras, plurimas Danaides fore.
Ita GRIPHINA,
Viuente marito malè sana, mortuo Poloniæ infesta:
Quid enim *mulieri salui est, prostitutâ modestiâ?*
Aut quomodo integri capitis erit; quæ frontem perdidit?
Iunior GRIPHINA prurit, Senescens insanit;
Licitatur illa Poloniam, VENCESLAO Bòëmiæ Regi, Cr. f. 226.
Futili, imò, nullo vendentis Iure:
Etiam Bizantium Venditura, si Emptor præstò fuisset;
Nàm, *vbi semel à recto & æquo, deerratum est,*
in præceps ruitur.
Rem emptam, dum Bòëmus vindicat, sibi nociuis armis;
Cladem pro dono, accipit:
Pro damnoso beneficio, improperia amitæ redditurus.
Nàm, *improborum ea proprietas est, obsunt dùm benefaciunt.*
Ita GRIPHINA, nihil integri habens,
Præter inuidiam, odium, & exilium,
Quæ, in Polonia rebus compositis, cum decore viuere non tulit;
Extra fines Regni, ignominiosè mori debuit:
Polonis molesta, Bòëmis contempta,
In Bòëmia A. Ch: circiter *1295.*
Circumforanea mulier.
Abi Lector, nec in fatum inquire,
Quid ni funus mortuæ, ducerent Poloni?
Cum illa viua, exequias Poloniæ, dare instituisset?
Ita fortis in hostes LESCO Niger,
Aduersum fæminam pusillanimis:
Adeò plerisque desunt Artes, quibus domum regant,
Quam quibus hostem superent.

 Diuer-

Diuerſa militandi Regula, in Bellonæ, & Veneris Caſtris.

LVCARDIS

Præmislai Regis Poloniæ, Vxor I.

Neſcio quid Luctificum, repercuſſa Echo reboat;
Querula verba edente Tumulo:
Sæpè namq; *è Tumba, Tuba,*
O Amate, ô Dilecte, ô cordis mei Corculum!
Non modo iam Coniunx, ac Princeps, ſed Domine.
Si priora amoris vocabula, in uanum iacto, ſaltem
Titulus officij, admoneat officij.
Itanè in alios admiſſa ſcœlera, ſeuerè vindicas? Iuſtus Iudex
In te ac tuos conniues?
Ducalis ſanguis ſum, Nobiliſsimæ ſtirpis propago,
Principis Vxor.
Vel generis prærogatiua, Vel natalium claritudo,
Coniugalis deniq; Amor;
Inuindicabile Caput, non ſinant.
B.f. 204 In Principali conclaui, imò toro, ſceleſtiſſimis Ancillarũ manibus, interimor.
Quis ſperaſſet ex eo ſexu ſiccarios! & in Gynæceo
foue-

foueri latrones!
En reſperſa ſanguine in lecto tuo Præmislae veſtigia,
Adhucnè, immemor amaſſe, hæſitas?
Et, ſupra ſexum, crudele facinus, non vlciſceris?
Hominem ſaltem, & CHRISTI redemptam ſanguine, conſidera!
O quàm fallacia
Inter Amaſios, dilectionis vocabula!
Aurum, Cor, Anima;
Blandienti Marito dicor, quæ modo dilecta, iam neglecta.
Negatæ fæcunditatis non in manu mea poteſtas,
Vxor eſſe Principis potui, quod mater filiorum eſſe nõ poſſim?
Diuinæ Ordinationis ſcitum,
Abit impunè Cædes.
Eheu Princeps!
Vxoris ſanguinem non vindicans, tuum fundis!
LVCARDIS eſt, NICOLAI Serborum Ducis Filia; Cr. f. 114.
Tua Coniunx: B.f. 189.
Verborum fœdere profeſſus es, vnam tecũ carnem fore, compati debes.
Verùm in irritum verba. LVCARDIS accelerato funere effertur;
Cui, non ampliùs querelis, mortales fatigare vacat:
Niſi adiecto eo,
Pernicem nimis veredum, Nemeſi eſſe, in quo & ſi
Malefacta præcurrant, aſſequitur.
At tu, mi Coniunx,
Perpetuùm mihi ſalue, eternum vale.
Ac quo LVCARDIS tuæ, etiam poſt fata ſinceritatem noſcas;
Nomini tuo parcit, vt abſoluat vxoricidio.
Quo Facto,
Inſcrutabile Arcanum legenti relinquitur;
Diade-

Diadema Regium in Polonia, Capite homicidæ ob fusum,
Præsulis sanguinem decussum, in alterius, non de-
planò innocens, Caput reponi.
Pænitebit tamen quandoq; PRÆMISLAE Tragici Actus;
Animam pro Anima posituro:
Talio quippè hic *est, vt sanguis sanguine eluatur.*
Abijt è Vita A. Ch: *1283.*

R I X A

Præmislai Regis Poloniæ, Vxor II.

Itinerarius apparatus præsto sit,
Freto tamen, non terra equitabimus;
Borea Iugales suppeditante: excisæ Apennini iugo arbores,
Rhedam parent;
Non loris, sed rudentibus adstrictam:
Quâ, occiduus Sol extimas mundi metas respicit, ardeant
Polonæ tædæ; in vsq; Septentrione lucentes.
Paranda affinitatibus amicitia: quæ seu propior, seu distantior,
Nunquam extra vsum:
Hoc est, singulare vitæ humanæ elementum.
Itaq;,
Trans maria, & sub ipso Cimbricæ Hersonesi Tropico,
Regi

Regina Polonis quæritur:
Terram Salo, coniungi crederes.
Mala amoris, cum igne comparatio;
Ignis namq;, obuias populatus incendio Siluas,
Interueniente vnda abrumpitur:
Violentior eo Elemento Amor non flumine, non marijs sistitur.
Nihil decumani fluctus impediunt,
Leander, ad Heram natat;
Quæ tamen ea, & vnde fuerit,
Dum genus ac nomen, expresse ponere calamus horret,
A gente nobis nuper infesta, minus festum,
Quatuor Oppidorum Capitales Literæ dicent;
Rádoszyce, Ianowiec, Xiążium, & Andreouia.
Suetia tamèn oriundam dedecori non fuerit,
BIRGERI, Regis Sueônum Filiam: *B. F. 203*
Non in congruens visum,
Vt quæ in Salo nata fuit, in solo nomen sortiretur.
Coronata A. Ch: 1295.
Per IACOBVM Swinká Regni Primatem;
Resumpto Diadematis decore haud diu gauisura.
Septimo regnandi Mense, interempto Præmislao marito,
Nec quidquam sibi, præter nudum Titulum, ac grauê orbitatem
relicta,
Mater tamen fuit;
Vnius Filiæ, Duplicis Regni Reginæ:
ELIZABETHÆ,
Etiam Trono Cæsarum, Polonum Sanguinem illaturæ;
Vt ternum materni stemmatis Diadema,
H Non

Non iam pictum in parma, sed reale in capite, gestaret.
Ab hac Filia matri laus,
A Matre Filiæ,
Cætera,
Nimis quàm sterili in Encomijs reginalib⁹, Historicorū calamo,
Silentur:
Expungentibus Acta, ne pungerent facta.
Et si illud præcipuum annalium munus reor,
Ex æquo pretia rebus diuidere, ac lucidia;
Tubæ in modum,
Quæ non solùm inter læta Triumphorum: verùm etiam inter funebria lethi in vsu est.
Abi lector, nec solum quate,
Vtinam quiescente illa, quiescerent suorum, gentilium animi, malè Poloniæ, nuper Amici.

ELIZABETH
Vēceslai Polō: & Bòémiæ Regis Vxor.

B.f.105. Cr.f.336 Patrem Poloniæ, Matrem Sueciæ,
Maritum Bòémiæ, Alterum Imperio,
ELI-

ELIZABETH debet;
In tot partes diuisa, in quot mundus diuiditur.
In ea muliere, Animositas Polona, Sueca constantia, eminuit:
Requisito vtroq; apprimè *Regnantibus* necessario,
Quibus, & *magnam fortunam animosè ferre decet;*
Et, *aduersam constanter expedit.*
A maritorum consuetudine, qualem habitum contraxerit,
Silent Annales:
Iniuriâ, ac incuriâ haud affirmem.
Conuersatio siquidem *est velut officina quædam, imprimens Conuiuentium animis, morum imitamenta.*
In contubernio improborum, difficilis bonis perseueratio.
Malum si virtuosis immisceas, sensim à peruersitate recedet:
Vt æra immista, naturam argenti referunt.
Huius, Prior maritus VENCESLAVS Bòémiæ REX;
Firmando in Polonia Regio Iuri, Hæreditarium vxoris adijcit:
Quasi verò muliebris dotis, additamenta Sarmatæ?
Fortè,
Vt fraternâ sorte Lechi, cognatæ iuncta Bòémiæ,
Eo capistro, libertatem Polonam frænaturus.
Verùm, *duo palmites, nequaquàm in sūmitate coalescunt,*
Licet si ex vno trunco prodeant.
Malè cohæret, cum quadrupede Bòémico,
Volucris Poloniæ Aquila:
Principes vtriq;, hæc auium, ille ferarum:
Linquit præpes Ales, pedestrem socium;
Etenim VENCESLAVS, *ægrè, præsidijs Bòémicis Poloniā retinens,*

 Digres-

Cr. f. 237 *Digreßus Pragam, medicata potione extinguitur;*
Inter malè affectos Polonos, vita securus;
Inter fidissimos Bòëmos, eam amittens.
O quisquis Principum, saluti tuæ consultum vis!
Subditorum animos generosos foue: seruiles caue!
Intra vestem ignauis sicca latet,
Vt, quisq; fortior est, non occultat ensem.
ELIZABETH itaq;, Vidua,
Sperabatur ad populares reditura, ni Imperiũ, pro Regno nacta;
Cr. f. 233. Germaniam Poloniæ præhabuisset.
RODOLPHO, ALBERTI Rom: Imp: Filio,
iam Romanorum Regi non vituperando
Gradu, iteratò Nubens:
Voto non effectu, copulatura Alemannis Patriam.
Sed *Poloni, ab omni æuo insociabiles,*
Pares, tolerant; priores, ferre dedignantur;
Sociari non renuunt, Dominari cauent.
Malè etenim *consulit pupillæ suæ, quisquis illi potentiorem tutorem, quærit.*
Faciliùs ouem lupo sociaueris, quam potentiam libertati.
Itaq;,
Coaceruatis Regnis, coaceruatæ Curæ;
Non tàm plura, quàm securiora sequi, necessitas persuasit:
In Germania collocatis spebus, ac rebus,
Nudo Poloniæ contenta titulo;
Nè Patriæ, inter Teutonas, obliuisceretur.
Quoad vixit, Reginam se Poloniæ vocare sustinuit.

HEDVIGIS
Vladislai Loctici Regis Polõ: Vxor.

* * *

Exoticis condimentis, absolum saporem, qui inesse putãt;
Natiuorum aromatum virtutem, ignorant.
Vbiuis germinandæ virtuti, haud steriles Campi;
Quid ni, in Campestri Polonia?
Quæ tamdiu Regibus suis, Thalami socias peregrè quærens;
Nunc tandèm, PIASTORVM de stirpe Principi,
PIASTÆAM Vxorem adoptat:
HEDVIGIM,
BOLESLAI Calissiensis Ducis Filiam, Cr. f. 236
Secundam è nostratibus Ducalis lineæ Reginam.
Non imprudente LOCTICI consilio, coniugium propè ambientis,
Ex vinitorum placito;
Qui, non malè inseri matrici arbori, recisum à fronde surculum, aiunt:
Nam HEDVIGIS, non fallentibus spes Mariti qualitatibus,
Fida tori socia, Indiuidua bonorum, malorumq; Comes;
Fortunam, & exilia Mariti, iuxta habuit.
Nupturæ sapis, si è proximo Coniugem capis.
Nàm licet omne remotum pro magnifico est: è longinquo tamen conspecta imagines, ægrè oculos in Iudicium admittunt.

Arrident externa, mox displicent;
Vernacula vbi expertus, æstimantur.
Vtriusq; sortis fidus viro Achates, Heduigis;
Debuit namq;, in tribulationis igne, recoqui aurum illud,
quod Reginalem verticem, circumdaret.
Hèm quantum *premitur, oneroso torculari Purpura Regũ!*
Antequam murice intingas,
Sudes oportet, antequam in summum felicitatis apicẽ, peruenias.
Cr.f.246 Coronatur HEDVIGIS, A. Ch: *1320*
Reginarum Poloniæ Cidarim Antecedaneis abrogatam,
Succedaneis reddens;
In numero Reginarum Sexta, in Cathalogo Vxorũ Regiarũ 25.
Verùm *Regum coniugia, communicatiui Iuris sunt;*
Mutuato lumine, hæc Sidera lucent:
Vt Cynthia à Phœbo;
Nisi aut modestia Reginas, aut fœcunditas commẽdet Mátres.
Felix populi amoribus, ac gemino puerperio
HEDVIGIS;
Nè Macedoniæ, aut Gallis, magnos inuideremus, effecit:
Magnum gignendo, non statura, sed gestis
CASIMIRVM,
Cr.f.246 Ac ELIZABETHAM Caroli Hungariæ Regis consortem;
Vt, extincta in filio, Regnatrice stirpe, rursus, ex filia,
PIASTI reuiuiscerent:
Velut ex cinere Phœnices.
Mortuo post Marito, sed regnanti filio superstes
Jn gratiam Nurus, Diadema, ac sæculum, abdicat;
Pro terreno auro, cælesti lauro donanda.
Non iam Poloni, scindite studia in contraria, Animos:
Ori-

Orientem, non occidentem Solem, adoraturi!
Abit Sądeciam HEDVIGIS, ex Regina Monialis Cr.f.260
Vbi, Septennium
Claustrali in Secessu, priùs mundi tribulationibus subactum,
nunc religioso eliquatum rigore, redderet Spiritum
Creatori,
Ac si, Aurum probatum septies.
Moritur Sądeciæ veteri, A. Ch: 1340.
Prudenter, & Christianè
Nàm inter terminum supremorum, ac negotia vitæ,
intercedere debere, præparatorium momentum;
Ex quo, pendet æternitas.

IESVS MARIA IOSEPH.

HYPOMNEMATIS REGINARVM *POLONIÆ* PARS ALTERA.

ANNA

Caſimiri Magni Regis Polõ: Vxor I.

Caſimirus,

Patre, ac Matre Polona Satus,
Grandium in Polonia operum Sator,
Sarmaticæ amplitudinis Protoplaſtes,
Magnus

Nihil æquè maius aut grandius moliri poterat: Quam nuptialem Annulum transmittens
ANNÆ,
Cr:f.150. Gedimini Lithuanorum Ducis Filiæ,
Cui posthac Sanctissima vnio insereretur.
Nec improuidè,
Annulus quippè, *sine vnione, vnio, sine annulo, vilior est:*
Vnus ab Altero pretium dat, & accipit.
Id, à longè operante Fato;
Vt priùs sanguis Vicinorum Principum misceretur; antequàm binæ gentes, in vnum corpus coirent.
Neq; in Nouæ nuptæ assignanda dote, laboratum diu;
Suffecit Amicitiæ ratio, namq; *Sinister nuptiarum auspex Pecunia,*
Cui dandæ ex pari, nec Lithuanis posse, nec Polonis velle, aderat:
Nàm Gedeminus Pater,
Si cætera bellicoso viro deessent, Duodecim filiorum numero succinctus;
Expetendam Socerorum manum ostendens, Amicorum Numerum, pro nummis dabat.
CASIMIRVS etiam,
Non in pondere, aut mensura dotalem Gazam, sed humanis Capitibus exolutam, libens recipit:
Reseratis hirrienti Cardine Mamertinis postibus,
Cr.f.150. Dimittuntur Captiui;
Quos nuper hostis Lituania interceptos, nunc Amica Poloniæ offert.

O grata

O grata Cælo negotiatio!
In qua sanguinis humani pretium, auro antehabetur!
Si vnquam,
Gratulatur Principi suo, Polonia, auspicatum connubium, Bonis Auibus initum;
(Aquila namq; Regina auium pronuba)
O redditos Ciues!
Quibus eliberandis, exhauriendæ erant Regni Opes,
Aut pereundum miseris:
Nunc insperatò, redduntur Patriæ desperati;
Lytrum exoluente Hymenæo.
Igitur ANNA,
Postquam Ciuicam meruerat, gratus Polonis hospes;
Sacro Diademate, ornatur:
Anno Ch: 1333. Cr.f.160
Quæ dotes animi fuerint?
Noua Tersipichore fuit;
Aut cælestem mulierem dicere fas esto; vt quæ inter Symphoniacorum choros viuens, cælestium Sphærarum Cr.f.2.5 Imitatrix esset. namq;
Hac Phœbus, Phœbiq; Soror Duce, & Aurea Cæli
Astra suos agitant constanti fœdere motus.
Sed mors Amusica planè;
Chordas rupit, Barbiton excussit, & funesto saltu,
Choragium feretro excepit.
Hæc Magni Coniunx,
ELIZABETHAM Filiam genuit, BOGVSLAI Pomeraniæ Ducis Consortem; cuius posthac proles,
CAROLO Rom: Imp: desponsata, Cr.f.176

 Domū

Domum Cæsarum optata fæcunditate propagauit:
Celebritate nuptiarum memorabili.
In quibus præter Cæsarem Sponsum, ac Tredecim maiorum gentium, externos Principes, Quatuor Coronata Capita coepulari vidit Polonia; Mundus audijt; Posteritas, pro miraculo accipit.
Insociabili Statu Regio,
Ac velut montes, nisi conferantur, extra congressum esse:
Cr. f. 161 Moritur ANNA, Ch: 1339.
Sepulta Cracouiæ.
Abi viator,
Ac opinionem eam ex animo euellas, necessum;
Dotes Principibus in numerato non querendas:
Amititia ære vtilior.

HEDVIGIS
Casimiri Magni Regis Pol: Vxor II.

In hoc Hypomnemate, Reginarum Poloniæ,
Ac si, in mundo.
Non vnius Ideæ, omnium vultus, ac mores.
Iam pijs viraginibus intermixtæ, Clementes, Magnanimæ,
His

His iterum feroces, imperiosæ, deliræ,
Rursum alias, dùm formæ venustas commendat:
Alias sua derformitas, contemptas reddit.
Nàm *in hoc Protheisantis mundi Theatro, graues Actus, Comicis prosceenijs, interpolantur.*
Magno nostro Sublata Fato, ANNA HEDVIGIS, HENRICI Landgrauij Hassiæ Filia, Cr. f. 164
Toro substituitur;
Multum moribus, dispar, ac forma:
Nàm prior inter modulantium choros, Ouans moratur.
Hæc, in collachrymantis Gynæcei planctibus, vitam traducit;
Vix aspecta, despecta:
Illa, Musicis, hæc, præficis immista,
Non illatæ è Hassia dotis, cumulus profuit;
Imò docuit:
Amorem coniugalem, nunquam probè pecunia emercari posse.
Sequior *forma*, coniugum Seiunxit animos,
Quæ liberalior, blanda est conciliatricula animorum;
Ac eburneum hoc *detrimetum:*
Illicit Amasios, vt carnes Nisum
Damnet quiuis formam, ac fragile vitrum vocet.
In perspicillis tamen, iuuandæ oculorum perspicacitati,
Vtimur eo tenui, ac perlucido;
Quidni *forma?*
Quæ *Iuuẽtutis illiciũ, virilitatis pabulum, senectutis solatiũ est.*
Tiresias, & Argus coëant;
Ostracismo deformitas damnabitur.
Ea ex ratione, rarus inter Coniuges Amor. Cr. f. 165

CASIMIRVM, & HEDVIGEM;
Concesserim sanè Coniugia Regum, non qualitate formæ,
Sed utilitate Publica metienda.
Verùm ex hominibus Reges, quî adigas
Vt ament, quæ oderunt:
Equuleum, ac tortorem da, nil proficis.
Suet. Tau. *Fastidit Romanus ille Octauiam suam, etiam HEDVIGEM*
CASIMIRVS;
Ille, donec perderet, hic, pelleret.
Siquidem HEDVIGIS,
In Zarnouecense Arcetum Semota, tot Amicas illicitè Mariti amplexus, inter se partiri vidẽs,
Non semel se ipsam, in Soliloquio allocuta.
Me Miseram,
Adeonè inclyte Principium, vilis tibi sum? ut turri inclusam teneas. Si conuictus Vxoris displicet, saltim aspectum non nega. Formam si reprobas, aut mihi natura nouerca fuit, aut tibi Philtra pellicum oculos fallunt. Fruere itaq; nihil moror; Rochicianæ tuæ amplexibus, ac ad usq; recutitorum feces demißus, v. f. 181 *gratari perge: Si cætera desint, Hester te tua Asuerum faciet, simul & interempto monitore Propheta Herodem*
Crede tamen vel non amatæ Coniugi,
Illiciti Cupidinis faces, denigraturas magni Nomen;
Itaq; HEDVIGIS, inter ærumnas doloresq;,
Integerrimè Acta vitâ;

Nam

Nam plerumq; *optimè, in calamitatis Schola, virtus docetur;*
Terno Zarnouecij Lustro commorata,
Vocante Patre, non renuente Marito,
in Hassiam abit.
Carcerata in Regno, Exul in Patria;
Biennio post abitum naturæ debitum Soluens.
f. f. 174 Anno Ch: 1358.
Turpis non est, cuius faciem verruca, deuenustat;
Si more placent,
Nequaquàm laudes, quæ virulentiam, superficiali pulchritudine tegit, ut glacies fœtidas aquas.

HEDVIGIS
Casimiri Magni Regis Polõ: Vxor III.

* * *

Non ex Delphico Tripode,
Sed, ex prudentiæ promptuario,
Oraculum;
Cuncta Principibus, ad immortalitatem Nominis generisq; dirigenda.
Turrita templorum culmina, & spatiosarum arcium munimina

ina-

inanimati claritudinis testes sunt.
Ex lumbis succedens posteritas, are perennius monumentum,
Nullum solidius firmamentum soliorum,
Quam vbi successor non in incerto:
Ac in Oculis Patris Æneæ, paruus Ascanius ludit.
Hæc curarum potissima CASIMIRO,
Ducta HEDVIGE,
Cr. f. 274 HENRICI Glogouiensium Ducis Filia,
Proli excitandæ;
Piastiadum nouissimus, ac gestorum claritudine
Magnus Rex,
Defectu Masculæ Prolis, infelix Pater;
Acsi, emorientis scintillæ fulgor
In negatam felicitatem, vt filios habeat, nititur:
Frustra,
Vt gramina ac herbæ, imbrium inuitamento prodeunt,
Ita à cœlesti manu, plantantur nouellæ
in horto coniugij.
Errat qui sine concurrentia primæ causæ, sibi
fæcunditatem imputat.
Vah?
Fructus hic vafræ Veneris, per illicita succedentis,
In licitis sterili
Vsu atteritur ferrum, Veneri, venus nocet.
Prædatur illa Annos; mox Annorum præda;
Ignis ligna consumens.

Mater

Mater attamen HEDVIGIS,
Duas filias enixa, duplici cura cor Patris affecit;
De Mare Successore,
Et filiarum orbitate.
Quorum grandæuis liberi optantur?
Nisi, vt *perfunctorij Patres, breui cum crepundijs suis*
deliciati, morte derelictos exponant, crudeli tutoriæ,
Vix non Tyrannidi.
Claude marito, mæsta Coniunx oculos,
Ac extremis codicillis, breuem censum, Tibi, filiabusq; Cr. f. 299
recipe;
Felicior mater, si tàm intempestiuè fæcunda non fuisses;
Vos quoq; miseræ fæmellæ,
Regno Paterno extorres,
Piastæum sanguinem nimiùm ne iactetis: imò vitium na- Cr. f. 288
talium, cogente Tutore profitendum inuitis est:
Beneficium habituræ quod Comiti Ciliæ vna, altera
Romerino Duci, in consortium extrudetur.
Cur ita?
Exigit condignas vltrix Rhamnusia pœnas,
Ac tarda Nemesis,
Hic infelices locat, vbi olim Feliciani Filia, à Patre
Vestro malè locata fuit.
Sed, Thymantis velo obducenda tanti Principis Acta,
Sat pœnarum,
E triplici coniugio, tres gnatas genuisse, nullum marem.
Moritur HEDVIGIS, A. Ch: 1375. Circiter.
Postquam omnia decora Poloniæ, cum tanto Marito
K Sepe-

Sepelijt,
Piastorum maximo, & nouissimo,
Verùm, secreta hæc temporum reuolutio,
In ordinem mortalitatis nati, admittimus posteros;
Cedimus venientibus:
Piasti cessant, Iagiellonidum sæculum imminet;
Quibus extinctis, rursum PIASTO-IAGIELLONVM Regimen esto:
Ita disponit sublunaria æternus ille
Prouidentiæ oculus;
Qui, supra nos, si vult, potest.

ELIZABETH
Caroli Regis Hungariæ, Vxor, Regni Poloniæ Regens.

❀ ❀ ❀

Hûc ploratrices anus,
Quotquot admoto cæpe, oculos, in fletum erudijstis
Conductitias non negate lachrymas;
ELIZABETHÆ,
Cr.f.146 VLADISLAI Lokiet: Regis Polon: Fil:
CARO-

CAROLI Regis Hungariæ Vxori,
Regni Poloniæ Regenti, parentaturæ.
Piastorum hoc occiduum Sidus, sed erraticum;
Laudatissimorum Maiorum degener proles,
Congruentior saltatrix, quàm Regnatrix.
Nàm, *quò longiùs à fonte promanarunt aquæ, eo sunt turbidiores.*
Non iniquè pungenda calamis, calamitatis
Polonæ auctrix,
Pro funebri laudatore, accusatorem stylum sortita;
QVÆ,
Filium vno Regno contentum, duorum incapacem, libidine Dominandi incendit:
Quia affectum hic cunctis alij flagrantior est,
Vt cruda licet si ligna, subiecto fomite ignem concipiunt,
Ita nemo cupiditati moderari sciuit, quin vbi
suasor adest, non laxet frenum.
QVÆ,
Vicerex in Regno Poloniæ, CASIMIRI Fratris Filiabus, in Vngariam abductis, immeritarum exilio, Cr.f.181
noui Principatus initia fædauit.
Pignus illud Piastæi Sanguinis, ex oculis Polonorum
sublatura: restinguendo in subditis, amati
Principis desiderio;
Expedit siquidem, (ex moderno Polythæorum sensu,)
Antecessoru obliterare memoriam, nè præsentia
comparatione vilescant.
QVÆ,
Satellites Vngaros, gentem etiam inter amicos rapacem,
K2 Vsq;

Gr. f. 290. Vsq; licenter grassari passa, vt præfectus Arcis KMITA, tumultum sedans, interimeretur.
Nunquam carius Hungaris fænum constitit,
Centum Sexaginta interemptorum,
Emercatum sanguine.
Conducite Principes, externorum Stipatorum cateruas,
Regnantibus Poloniæ,
Argiraspidum phalange firmior custodia,
Popularibus circumdari:
QVÆ,
Lithuanis Scithisq; subita irruptione Poloniam vastantibus, grassantium armorum strepitum, symphonia eludens;
Vbi Barbari solitudinem fecerant,
Illa pacem appellauit.
Enteatum olim Saulem, decachordos mulcebat Cythara;
Nunc delirantem fæminam,
Premente hoste, musicorum solatur concentus.
Eheu crudeles nimiùm delicias!
Harmoniâ eiulatum premere, ac in sanguinis humani profluuio, Arionem citarizantem Delphino vechi.
Hæc, in improuidam regentem accusationis capita;
Transmissis leui quærela venialibus,
Mox risus, in funere, materia:
Dum nolentes mœreri Præficæ, sub pullorum Syrmatum inuolucro, fictis lachrymis, veros cachinnos substituunt.
INTERIM,
Tubicinibus, Siticinibus, Vtricularijs,
Gr. f. 290. Emortuale carmen exsibillantibus,

Coqui, Cupediarij, ac Celariorum
Promi Condi,
Instruunt multa dape mensas,
Pro lethali, lætum Agape daturi,
Octuagenariæ choragæ, ac perpetuæ saltatrici.
Moritur, Anno Ch: *1381.* Gr. f. 294.
Abi Lector, subter te est, quæ, supra te fuit;
Grauem credo, superiectæ sibi telluris, glebam experta;
Quam toties petulanti pede, Saltatrix concussit:
Ac scias oportet,
Binum fæminarum delirium esse, æquè stultas, dùm eis nascuntur, ac denascuntur dentes.
Amphion dulciuocus, & Archymagirus Libo,
Dom: ac Reg: suæ Munificentissimæ
Poni cum dolore F.F.F.

ELIZABETH
Ludouici Regis Polō: & Hūg: Vxor.

* * *

In Amita, quid licentiosior viuendi ratio;

In filiastra, quid illaudata educatio peccauerit,
In vtraq;, habes Lector.
ELIZABETHA,
Nomen quinimo ipsum, si bifariam diuidis,
Potiorem partem Elizyis campis, deuotam præseferunt;
Posterior à vili olere mutuata deriuatione,
intitulatur:
Sed vt hominis, ita nominis mala partitio,
Insulsè deuotum caput Cælo ferre,
Caudam terræ partiri;
Nemo duobus Dominis seruire, nemo luci & tenebris,
exdiuidi potest:
Nec HELIZABETH,
Hæc CASIMIRI Cuiauien: Ducis ex Filia Nepos, Cr.f.287
HELIZABETHÆ Reginæ Vngariæ Amitæ alumna, STEPHANI
Bosnensium Regis Filia; LVDOVICI Regis Polon:
ac Hungariæ Coniunx.
Bini Tituli Regina, Reginarum albo inseri poscit,
Saltem nomen eius, in arcta pagella maneat;
Quæ nunquam in amplissimo Regno mansit:
Imò neq; fuit.
Auorum Patriam inuisuram, fortè Aureũ pomum distinuit;
Quod olim quoq; ab Hyppomene iactum, insuperabilem
Atalantæ velocitatem stitit.
Ac, quoniam per oculos intrat Amor,
Venerata magis quàm amata, Polonis ELIZABETH,
Duo illa Coniugij pignora, edidit;

MARI-

MARIAM & HEDVIGEM Filias,
In spem binorum Regnorum genitas,
Quarum prior SIGISMVNDO CAROLI Imp: Fil:
desponsata, dotalem Vngariam sortita est.
Poloni,
Ab auo Coauæ libertatis tenaces,
Iuniorem accipere maluerunt, Innuptæ maritum
Electione quæsituri.
Eo HEDVIGIS Fato,
Vt non Paternum Regnum illa, in dotem secum cui-
quam daret, sed cum marito acceptam Poloniæ adnecteret.
Neq; vehemens Polonis cordolium erat,
Qui HEDVIGEM Filiam obstinatissimè venerabantur,
Matrem HELIZABETHAM ignorasse;
QVÆ,
Inuisi generi inimica Socrus, fundando muliebri Im-
perio, pactas filiæ nuptias irritas diu habuit;
Generum modò armis, modò aduocato Æmulo,
Prosecuta: Cr.f.299
Nam *non violentiùs in appiaria vrsi irruunt,*
Quam Fæmina prægustata Dominatione in apicem
rerum fertur.
Quidquid illa vult, valdè vult;
Non modus, non terminus, non medium
Cupiditati Mulieris.
SIGISMVNDVM generum non recipit,

CARO-

CAROLVM Mariti nepotem, per ſiccarios tollit,
Ne ex-Rex ipſa Reges ferat;
Ita in generum inclemens, In Filiaſtrum crudelis,
Æquè in ſe crudeliſsima:
Vltrice Nemeſi, innoxij Sanguinis pænas repetente,
à Præfecto Croatiæ
Armis oppreſſa, Dominatione exuta, Aquis ſubmerſa,
Cr.f 199 Miſerrimè perijt. Anno Ch: 1386.
Rapido flumine, extinguente, immodicam dominandi ſitim;
Reliqua Bonfimani annales dicent:
Eius laus potiſſima, Heduigem genuiſſe.
Non diſparibus itaq; alumnæ ab altrice moribus,
Diſpar fatum vtriuſq; fuit:
Ita ſæpiſsimè mala institutio, natalibus præualet;
Et facilius candida denigrantur, quã atra candidaueris.

D. HEDVIGIS
Vladislai Iagiellonis Regis Poloniæ, ac Magni Ducis Lituaniæ, Vxor.

* * *

Tres inclitæ orbis gentes, memorabili inſtaurãdo Tri-

Triumpho, Symbolum faciunt;
HVNGARIA, Cunas pro triumphali curru datura,
POLONIA, Euinciet tempora coronario Auro,
LITVANIA, Cataphractum ſuũ quadrigis iũget.
Prodit Triumphatrix HEDVIGIS,
LVDOVICI Polonorum ac Hungarorum Regis, tùm &
ELIZABETHÆ, Stephani Boſenſium Regis Filia;
Non victos illa, ſed deuinctos Populos,
In triumphum ducit:
Peſsimè Siquidem *olent, Triumphales Pompæ,*
Quæ humano ſanguine immaduerunt;
Neq; pro recuperatis, ſed pro dilatis Pop: Rom: Pomerijs, Priuilegium id Honoris, ſtrategis conceßum.

Expendente Roma,
Occiſorum hoſtium numerum, æquè amiſſorum Ciuium Capita,
O miſerum Cæſarem, qui vndecies Centena, Nonaginta, Duo, Millia hominum, à ſe prælijs occiſa Triumphauit!
O! Infelicem Pompeium, qui fuſa, fugata, occiſa, à ſe vicies centena, Octaginta, Tria Millia, gloriatus eſt!

Triumphante HEDVIGE,

Alia fercula, ac ſpectandi materies;
Quæ per ſpatioſa Regij carpenti latera, ingenioſus artifex, accuratè depinxerat:
Non defraudanda etenim *poſteritas eſt, quæ Heroicorum Actuum dramata, tranſmitti poſcit, imò vrget Stylo, cæloue, aut penicillo nihil intereſt, quid ſi hæc* tria

tria iungas, mortalitatem vicisti.
Itaq; primo expresſit,
Vt legati Poloni, Iaderam vſq; Raſciæ Vrbem profecti, debitum ſibi pignus repetunt HEDVIGEM,
Cr. f. 306 Virgunculam, Viris Regnaturam;
Sed renuente Matre, fruſtra SZAMOTVLIVS vadimonium offert:
Nàm *amata quæq; ægrè è manu dimittuntur.*
Verùm æreis inciſa tabulis fata quî mutes,
Iubente IEHOVA *Regnant Principes.*
Datur ac coronatur HEDVIGIS,
Cr. f. 308 Anno Ch: 1384.
O quæ tùm gaudia exultantis Poloniæ!
Formæ venuſtas, compti mores, ſupra ſexum prudentia,
Procos illiciunt, ſubiectos deuincunt, omnes conciliant;
Etiamſi Regina non eſſet,
Autoritas ſiquidem, *Principum, ſub extrinſeca vultus Maieſtate, ac ſi ſub vmbella magnificentius reſidet.*
Cæſar, maieſtate Oris Pyratas terret,
Phylopomænes, findendis ad focum lignis deſtinatur.
Concurrunt IAGIELLO, & VILHELMVS,
Non pro dote, ſed cum dote ſponſalia pacturi;
Ille Lituaniam, hic Auſtriam offerentes:
Præualet Lithuanus,
Non Poloniæ modo, ſed Polo cooptandus,
Nàm pientiſsima Virgo,
Grandes cælo manubias datura,

Quod

Quod Romano è ſanguine Lithuanis origo; Romana Sacra vt adoret Lithuania, facit. Cr. f. 318
Felix Luſtrum,
Dùm innumeri Neophitorum greges, luſtrali aquâ tincti,
Chriſto dant Nomina; Dæmonum cultu abdicato, Cr. f. 315
Ac Religionis Chriſtianæ conſortio, conſortium Polonæ Libertatis obtinent:
Vera namq; *Religio ſola liberos facit,*
Diſsidium fidei Orci mancipia.
Surgunt de properatis operis Baſilicæ templorum moles,
Vbi olim Luci colebantur,
Interna altarium ornamenta, HEDVIGE Reginali manu ſegmentante.
Poſt
In partem Curarum Belli Marito aſſumpta,
Hungaros Ruſsia omni proturbat, Cr. f. 318
Crucigeros, pactis fæderum aſtringit,
Nàm *qui cultum Numinis vna manu promouent,*
Vtraq; eis DEVS opitulatur;
Vatem quoq; egit,
Fædifragi Crucigeri eam, ex pacis arbitrâ, cladis Cr. f. 318
prænuntiam habent.
Poſthæc, non vano Prophetiæ dono Vitoldi in ſcythas arma, inhibet diſuadendo;
In vtriſq; docuit euentus, futura præſciuiſſe.
Quid ni præſciret?
Collocutore Deo, (vt Maiorum fert traditio)

 non

non iam ex ardente Rubo, sed ex Crucis
stipite futurorum scientiâ, pectus
implente.
Phœnix planè coronati capitis felicitas,
DEO cum Sermocinari;
Neq; postrema Laudum eius fuerit,
Dùm conductis Praga Professoribus, grauidum Sapientiâ, Archilycæum CRACOVIEN: implet.
Ac nè exoticas Laurorum baccas, peregrè Poloni quærerent, Laureto domi plantato facit,
In Lechico agro, coloniam Musis erigens,
Cr. f. 318 ACADEMIAM struit;
Non hospitium, sed domicilium PRVDENTIÆ:
Res vt in se est considerabilis,
Quod Magnus non potuit, fœmina fecit,
Applaudite Minoris census Philomusi,
Non quæsituri sed habituri domi sapientiam;
Nulla quippè regiarum manuum tractatione, dignior arbor, quam cuius fructus scientia:
Et si, peculiare
Principes eos, literas fouere, qui literis digna gerunt.
His adiecit ingeniosus artifex,
(Et si contra Triumphantis mentem)
Cr. f. 317 Sub infimo Currus temone, Gniewosiũ Daleuiciũ,
Turpi Viro Patritio, Palinodiâ
Vellicatam, optimæ Reginæ famam, relatrantem;
Audax nimiùm calumnia, quæ non modo Reginam,

Sed

Sed & sanctam mulierem, aggreßa est.
Supererant prolixiora HEDVIGIS Encomia,
Sed quæ semper modesta vixit, (nè tapetibus quidem parietes conclauium onerari permittens) ambitiosa Cr. f. 318
Triumphi Pompa Polonos immorari diutiùs vetuit:
In morte nouissimè felix.
O hæc sola laudata inuidia, inuidenda felicitas!
Post breue vitæ curriculum, Christo æternum victura.
Vnicam Filiam, Cr. f. 318.
BONIFACIAM Elizabetham, genuit,
Quæ breui vt nata, denata;
Fatum incusauit, rumor publicus dolum Nouercæ accusauit. Cr. f. 396
Moritur HEDVIGIS, A. Ch: 1399.
Reginis inter Exempla,
Matronis inter Patronas,
Polonis inter Sanctas.

❀ ❀ ❀ ❀

SIMON STAROVOLSCIVS Polonarum antiquitatum Sagax indagator, Tale rescripsit Monumentum. Starouol: Fol:
HEDVIGIS,
LVDOVICI Regis Hungariæ, & Poloniæ Filia,
CASIMIRI Magni Neptis,
VLADISLAI Iagiellonis Vxor,
Obijt, A. D. MCCCXCIX.

 AN-

ANNA

Vladislai Iagiel: Regis Pol: Vxor II.

* * *

Quod planè eadem sit fumi, ac mæroris Analogia;
Natura facere videtur,
Sursùm fumus sudo aëre tendit,
Etiam mæror ad vsq; Regum solia euadit,
Fumus vento, mæror ratione discutiendus.
VLADISLAVS IAGIELLO,
Nuper felicissimo coniugio clarus, nunc acerba
Viduitate orbus;
Cr. f. 329 Inter amissæ HEDVGIS desiderium,
Ac retinendi dotalis Regni curas,
Solicitudinem excutit solitudine;
Abdita lucorum placent, *Nàm* insiluis diuersorium
non insulsum ærumnosis:
Quippè,
Non canori Auium, aut Citharæ moduli,
Quantum *virilis venatio mœrori medicina est:*
Sedentaria vita Cupidinis balneum.
Venatio Regia olim, ac nunc voluptas, præsentissimum
Belli progymnasma, Erigit animum, viresq; agitando;
ac lu-

ac ludicris congressibus, ad vera instruit
Certamina.
Constat primis cunabulis, mundum PASTORITIAM,
Vbi adoleuerat, VENATORIAM excreuisse
Artium;
Innocentem primam, Generosiorem alteram;
Clcuribus conuiuere prior; Hæc efferatis dominari,
Docet belluis:
Ad hanc natus, huic innutritus VLADISLAVS,
NIEPOŁOMICENSEM Saltum,
Regiæ venationi legibus descriptum, intrat;
Hic,
Fatigare Equum, tendere retia, exagitare feras,
Suetus;
Amæna passim plaga, ac ferarum feracissimo Nemore,
Iam molossorum latratibus inhorruerat Nemus;
Iam odori sequa Canum vis, pertinacissimo cursu
dispunxerat indagines;
Cum sequaci turbæ subductus Rex, ac sub fron-
dosa arbore recubus,
Sic se, amotis arbitris affatur.
Ach! siccine mæror, ita me incessanter premis,
ac si comitem indiuiduum? *E. Viduum,*
Nec aculeos lenit, solitudo inter Ne-
mora? *E. mora,*
O HEDVIGIS, ô Coniunx, quæ alia mæstissimo
resarciet hanc iacturam! *E. Duram,*
Tibi

Tibi Phænicem ſimilem vbi comperiam ter-
rarum? E. rarum,
Sed, quid cum linguoſa Echo rixari
proderit? E. erit,
Nec ſcurrili iurgio finem imponet cla-
mor? E. Amor,
Te ô Nemorum præſes lituo præcincta
oro Dianna? E. ANNA,
Te ſequar per Auia, eandemq; mentem da
velim vnicæ Filiæ? E. CILIÆ,
Verũ mærens collocutor deluderis reper- Cr.f.119
cuſſo ſono aut nõdũ penates expiaſti? E. ex Piaſti
Vt inducas aliam ſtemmate non de-
genere? E. Genere,
Pronuba igitur àëris, ac linguæ Filia,
ô Anna ambiam te ne? E. Tene,
Et vt ſolium firmem mulierculæ inni-
tendum? E. nitẽdũ,
Quod ſi Proceres ineundi connubij ra-
tiones repetent? E. petent,
Polliceris ne integra verecundia fore &
pudicam? E. Dicam,
Dicas

Dicas oportet, nam Regius Poloniæ ſanguis,
neſcit vllum thalami probrum pati;
Quid ſi Forma priori ac moribus non re-
ſpondet? E. Spõdet,
Quo ſponſore Filios mihi Regnis Reges
paritura? E. Tura,
Thura Aris dare congruum quæ tamen eua-
nida vt fumus? E. Sumus,
Eſtis, quid enim mulier niſi mollior? E. melior,
Fatear neceſſum vnum eſſe quod conciliet;
Fauorem Virgini Neptẽ eſſe CASIMIRI? E. miri,
Reſtituatur itaq; penatibus Aui ac ſoceri
Thalamo? E. Amo,
I Significatum velox pronuba re demum,
tranſacta in hac ad futura valle? E. Vale,

Hæc inter Dialogizantem cum, inuiſibili collocutore Regem, requirentium turba, ſomno ſimulato in-inuenit; quæ retulerat Echo, ad certitudinẽ; Prophetiæ ſecuto mox effectu referentẽ.

Siquidem Coronatur ANNA,
ANNO Ch: 1402. Gr.f.330
Fortuna ac fama variantibus vſa,
Nulla prole edita Mater;
Deceſsit, Anno Ch: 1415. Gr.f.364

ELI-

ELISABETH PILECIA
Vladislai Iagiell: Regis Pol: Vxor III.

Concurrite Ciues,
Tàm, quibus Patria in decus, quàm quorum decora
Patriæ, in gloriam vertunt;
Tollendæ inuidiæ,
Ac instaurandæ æqualitati,
Noua Senatus Consulta, aut plebiscita formaturi.
Iactent alibi Reges supra legem se positos; in Polonia
nequaquàm se exleges ferunt.
Nulla strictius Regibus manu tenenda Lex,
Quàm decorum Status, & Iudicia Hominum;
Ingens laus aut opprobrium Principum, siue obseruauerint:
Siue non
Hæc duo, multos famæ prodigos, ex præcipiti retraxere,
Ignominiæ & obloquij stimulis, in gloriam propellentes.
Eccur verò hæc celeberrimo Monarchæ retinacula?
Nempè, quia VLADISLAVS
Post interneciua clade deuictos Crucigeros,
Armis circumquaq; assertam pacem,
Gloriam Nominis Polonis propagatam,
Affe-

Affectibus proprijs, non sufficit edomandis,
Hic Robustus Sãson Sarmatiæ,
In sinu Dalilæ suæ, opprobrijs externorum: odijs
popularium constringitur:
Quippè, laxatis vago amori habenis;
ELISABETHÆ, PILECIÆ Cr. f. 361
Ottonis Palatini Sandomiriensis FILIÆ,
Ac si, Auis per immensa ætheris spatia, sese demittens,
Coniungitur;
Nunquam parili, inter dispares coniugio,
Regem, & Subditam.
Etiamsi omnia virtutum generisq; decora, ac si in
Pandoram Dij coniecerint
Nunquàm ex condigno habituram vestem Nuptialem
Malè elocat priuatos amores Princeps, bono pu-
blico maritandus:
Non sui, sed omnium causa regnans,
Omnium bono coniugia quærat.
Quid ad hæc præpes Poloniæ Aquila?
Iouis armiger, ac Trisulci fulminis portitrix,
Bellaci posthac vngue Asciam latura;
Obtrusis magnanimæ volucri illicijs,
Donec,
Deuolantem nodus Matrimonij constrinxit.
Ringuntur ob tantum dedecus Poloni, & famigerantibus
Crucigeris, ex Constantiensi Synodo, pro
Epithalamio Satyram audit
VLADISLAVS;

Pro-

Pro face tædam,
Verùm surdus Amor non audit conuitia:
Cæcus idem ac inconsultus facit, vt oculos habens non videat.
Namq;
Deleta Annis forma, vix vestigiis manentibus;
Etenim Venus venustatem adimit,
Et annis forma veterascit, vt imagines longo situ.
Deperit ille tamen Aniculam maturus,
Donec Reginali diademate redimitam, in solio
Cr.f.365 Locans, Anno Ch: 1416.
Ingratum id luminare Populo,
Auersis, non aduersis oculis, aspiciendum daret.
Non semper congruunt extrinseci applausus populi, cum intimis animorum.
Hæc Prima Polonorum POLONIS Regina.
Quid in tanta fortuna posset? Tētamēta præmisit;
Cr.f.371 Ioannem Granouium Filium,
Supra libertatis gradum repositura, comitem creari satagit:
Vt quippè *exundantia Flumina alueo: Ita ambitio præsentibus contineri nequit*
Nullis Collyriis cæcutientem cupiditatem iuueris,
Pertinax est ac nullo Elixiri Sanabilis.
Tum,
Quia rara est in nouæ potentiæ Hospite, Modestia
ALBERTO Cracouiensi Episcopo, aliisq; minùs Coniugio addictis, dies dicta.

Nibil

Nihil acerbiùs fastigiato verna, & arduum planè in apice rerum, ex humili prouectis, fortunæ moderari.
Sed mors,
Extendentem crimina, ac Mariti Iras acuentem,
Ante comitiorum Iudicia,
Ad æternitatis Tribunal euocauit;
Primo Termino eoq; peremptorio.
Anno Ch: 1418. Cr.f.371
Regis mærore, Polonorum gaudio,
Vtrorumq; non immodicis:
Nemine vel simulatione doloris lugubribus induto.
Itaq;,
Circumscribendis in posterum Regum Matrimonijs,
Quo,
Ex maiestate Regnantium, decore gentis, ac prolis
Suscipiendæ dignitate, contrahantur
In vim Cardinalissimæ Legis,
SENATVS POPVLVSQ; POLONVS
Statuit, promulgat, ac perpetuum Decernit;
Ex Consilio Publico,
Reges Maritandos.

* * *

Hinc breue in Basilica Cracou: Monumentum Sortita,
Ossa ELISABETHÆ PILECIÆ,
Vxoris Tertiæ VLADISLAI Iagiellonis,

 Hic

Hic ſunt recondita.
Anno. D. MCCCCXVII.

ZOPIA

Vladiſlai Iagiel: Regis Pol: Vxor IV.

* * *

Iam Regem ætas, Iam Polonos expectatio,
Nondum VLADISLAVM,
Spes prolis ſuſcipiendæ deſtituebant.
Inclytus Gædimineæ ſtirpis radix, in plures pullulauerat
Palmites
Iagiellone, Nominis gloria;
Vitoldo, Præclarè geſtis;
Coributo, Magnis auſis;
Orbem Europæum implentibus.
Cùm curâ poſteritatis, quæ omnes præcipuè Principes tangit,
Stimulatus VITOLDVS,
In penetralia Trocenſis aulæ abductum
VLADISLAVM,

His

His affatur:
Nihil agis fortiſsime Regum,
Si inter tot Victoriarum adoreas, ac ancillantis fortunæ,
Obſequia,
Orbus es; ac ſucceßore Carens,
Erepta hoſtibus ſigna, Tolis templorum affige.
Inſculpatur IAGIELLONIS nomen, Parijs marmoribus
Et, quæ alia ſunt, tranſmittendæ ad poſteros famæ,
Commenta;
Ab interitura ſpernuntur mortalitate.
Non aliter Frater REX,
Niſi ſucceſſore è lumbis relicto, æternitati litas
Da Polonis, Da Lithuanis filios,
Illi petunt, Hi exigunt
Reges, Duceſq;
Creſcat vtinàm in ſpem tot regnorum genita
Virguncula Hæres;
Sed pars felicitatis erit Reges habere, quam quæſiuiſse
Neq; prouecta ætas obtentui ſumenda.
Mihi crede,
Non improuidè quendam Phœnicum, Orientem
in occidente contuitum,
Annoſæ pyrus, vberiore fructu, fertileſcunt
Quod ſi votis cælum annuit & filiorum Pater es,
Gratiſſimum vtriq; genti pignus dabis;
Quia Serius;

Nàm

Nàm *clarius lumen esse solet, Phœbi, iam iam cadentis.*
Neque amplius præcario regnas certissimæ successioni viam instraturus.
Sortita efficaciam dicentis facundia,
Qua non Regi modo, sed vtriq; genti benè velle ostẽdit;
Eo facto, non immemor suorum:
Dùm sororinam (Sorore namq; Germana genitam) Regio inducit thalamo.
Hoc igitur conciliatore,
LITHVANIA pronuba, nescientibus POLONIS,
Cr.f.374 ZOPHIA,
Andreæ Kijouiensium Ducis Filia,
Sacro fædere Vladislao coniungitur;
Propemodum iam Filia, aut Sorore:
Imperatoris Rom:,
Regi nostro iungenda.
Crediderim tàm sine dote, quàm sine cura placitum Matrimonium Regi, in confinio vitæ mortisq; posito;
Sacro Diademate Coronatur:
Cr.f.377 Anno Ch: 1424.
Alberto Iastrzembecio Primate, ac iam tùm Primo Principe Sacris operante.
Cuius coronandæ Actui,
Sigismundus Imp: Rom:, cum Barbara Vxore,
Ericus præterea Daniæ Rex,

Ac

Ac pleriq; conterranei Dynastæ affuerẽ.
Inuidia sæculo nostro,
Quo Coronatis capitibus videre, & aspici non licet.
Deinde ZOPHIA,
Exonerauit vota populorum, ac gratiam facti Ostendens;
Pro Corona Regi, filios dedit:
VLADISLAVM, Cr.f.378
Celebre contra Turcas nomen, ac omen, Cuius natiuitas ac interitus, anxiæ expectationi, ac timori,
Dedêre Magnum Diem.
CASIMIRVM,
Cuius longæua & si improspera Dominatio, fastos Polonorum impleuit;
Attemperante velut de industria Fato,
Vt maioris laudata felicitas, breuiùs; diutiùs iunioris minùs secunda Dominatio, protraheretur.
Generositas equidèm vti ferrum; si violentia Fati suprà est, dùm non sustinet, frangitur.
Ea plumbi natura, vt sub malleo in laminas se diduci permittat.
Quod si veritas priuatæ fortunæ bonum,
Citra offensam, Regnantibus dici possit.
ZOPHIA,
Hominum vitijs, quatenùs homo, non caruit
Sumptûs prodiga, Iræ tenax, cupida vindictæ, Cr.f.484
Famæ deniq; non omninò attenta;
Nisi ab obiecto violatæ pudicitiæ Crimine,
Iuramentum absoluisset, Cr.f.381.

N Nimia

Nimia familiaritas plerumq́, bonæ famæ damnosa imò delationum Mater est.

Aut forte adulatorijs artibus apertæ mariti aures,
Aut suspiciosa senectus fuit.
Carum tamen nomen Polonis ZOPHIA,
Quia Iagiellonicæ stirpis PROTOTOCOS;
Cuius, pietatem,
Etiamsi Fasti silerent, muta fantur,
Imò quid muta?
Regium Sanctissimæ TRIADOS, in Arcæ Crac: Sacellum,
Cr.f.484. Octeno Psalteriorũ, canendis diuinis Laudibus choro fundatum, vocaliter nomen authoris celebrat.
Annorum itaq; plena,
Nuru ELIZABETHA Austriaca, claudente oculos,
Nepotibus ad feralem lectum quiritantibus,
Decessit Anno Ch: 1461.

Cui,

Quòd Domum Regiam prole beauerit,
Polonos optimis Regibus cumulauerit,
Mausoleum hoc literis tessellatum,
Polonia erigit.

* * * * * * * * * *

Subnectere hic Hexastichon placet, in veteri manuscripto repertum Codice, optimæ Reginæ Laudes continens;

Sanguine claro Ducum Rusiæ, clarissima quondam
Laudibus ipsa meis, gloria summa fui:
Iuncta Polonorum diuino fœdere Regi,
Contraxi Populos, in mea vota meos.
His nati vixêre Duo, duo fulmina belli;
Iustitia clarus, clarus vterq́, fide;
Alter enim multis, insignis ad astra Trophæis,
Procubuit: Christi fortiter arma tenens;
Quem, si fata viuum seruaßent, robore Martis,
Turcarum rabies, iam lacerata foret.
Alter, vt ingratos expellat finibus hostes,
Horrida pro Patria, fortis in arma ruit.
Ast ego dilecto, Iuuenis viduata marito;
Turturis exemplo, fœdera nulla tuli.
Cunctorum tandem senio confecta dolorum,
Anno Milleno, Quadrageno, Sexies-deno,
His vno adiuncto, in Sacro Matthæi Festo,
Occubui: Locus hic corpora nostra tegit;
Quem celebri petra, dotisq́, fulgore raro,
Condidi: vt fieret salus æterna mihi.
Institui, Laudes æuo Trinitati canendas,
Cælicolæ spiritum, ferte ad Astra meum;
Reddite, qui legitis Christo pia vota ZOPHIÆ,
Dicere ne tædeat, Spiritus astra petat.

Adeo verum illud,
Vixere fortes ante Agamemnona;
Etiam multæ celebratissimæ famæ, ante ZOPHIAM fuerunt Reginæ, hæc tamen, prima Heroico metro

Laudari meruit; fortè quia impensiùs
Literas fouit.

ELISABETH
Casimiri Iagiello: Regis Polõ: Vxor.

* * *

O te quaterfelicem Polonia!
Quæ tantisper vaga, erraticorum Siderum Metheora,
Throno ac thalamo Regum tuorum socians;
Nunc tandem propitio Fato,
iungis Cynthiam Phæbo;
Austriacos Iagiellonibus:
Præterquam, quod
Non pretiosior gemma huic Auro, non purius Aurum
huic gemmæ, inseri poterat.
Expediebat Orbis Vniuersi incolumitati,
Vt gemini, coætaneæ propaginis Athletæ, aduersus eheu!
Ottomanicum Pugillem,
Omnem pænè Christianitatem supplantantem,
In arctissima irent Fædera.
Ne iam ferox Hercules iste, contra duos,

Eo nomine ELISABETH,
ALBERTI AVSTRIACI Rom: Imp: Filia,
CASIMIRO Iagiellonidi Reg: Pol: *cr. f. 411*
desponderur.
Non nouum Polonis, ex Imperatrice Domo, habere Reginas,
Ex Austriaca Linea, nouellarum nouella.
Cumq; Poloni, libera electione sibi assumant Reges,
His rursus Vxores, infallibili delectu ex Austriacis assumũtur;
In alijs domibus Regum, affinitas hospitatur,
Hic domicilium fixit.
In hanc diem, nullius assumptæ subditos piguit;
Grandi scilicet dotis cumulo placuère:
Ita est. His,
In Deum cultus, Religionis amor, in populos Comitas,
Ac intra terminos modestiæ, circumscriptũ sexus decorum.
Dotalitia Gaza omne aurum superante manet.
Latret contra solem, inuidus obtrectantium liuor;
Ab Austriacis,
Liberas per coniugia (acsi freno melle delibuto)
frenari gentes.
Apage!
Quisquis mordaci hoc scommate, Diuum propaginem lacessis?
Deglutijsset Christianitatem Ottomanica Læena;
Hæc obstat:
Inundasset Orbem Europæum, diluuium Hæreseos,
Hæc retundit:
Concuteretur Pseudopolyticorum artibus Ecclesia,
Hæc protegit.

His Pontifices Rom: immotum Petri solium,
Imperium, Hispania, Hungaria, Bòémia, Lusitania,
Portugalia, Valencia, Granata, Castella, Nauarra
Belgium, ac innumeræ gentes ac Populi, tùm
Et Christianitas quod se sustentet, debet.
O Inscij bonorum suorum mortales!
Et non ex æquo æstimantes felicitatem suam
Tace cum Cœlo, pugnax inuidia;
Magnitudinem Austriacam, mundo coæuam spopondit,
Iustus Lipsius in Mon: MANENS, sub specie PANIS
DEVS,
Quod si magnum momentum Coniugijs è Magnis nasci,
Quid si è Maximis?
Quales Austriaci,
In Parentum Auorumq; mores immigrauit ELIZABETH,
Hocce deriuatum naturam, sui primitiui retinēs;
Coronatur, Anno Ch: 1454.
Diuisa inter MAGNVM & PRIMVM Actus Ceremonialis
Opera,
ZBIGNEO OLESNICIO Epis: Cracouien: copulante;
Cr.f.453 ODRĄWĄZIO ARCHIEP: Gneznen: Coronationis
ritum absoluente.
Digniùs quippè Hospes Austriaca tractari non poterat,
Nisi duo Columina Poloniæ,
Inaugurandæ Reginæ ministerio adhiberentur.
Com

Compendium itaq; HELIZABETHÆ laudum,
Quòd:
Præclara, Inclyta, Fæcunda,
Decus Generis, Amor populorum, Spes Regni
Fuerit.
Ac quia, Polorum ac Polonorum cognata sunt vocabula;
D. CASIMIRVM, Cr.f.564
Qui in numerum SS. relat:, gignens, Polum, Poloniæ Amicum
reddidit:
VLADISLAVM prætera, Cr.f.487
Hungariæ ac Bòémiæ Regem, diuturnitate regnandi
ac gestorum gloria Laudatum:
IOANNEM ALBERTVM, Cr.f.478
Animo supra fortunam erectiore, Diademate Patrio insignem:
ALEXANDRVM, Cr.f.481
Principalis munificentiæ Idæam, ad benefaciendum,
humano generi natum:
FRIDERICVM, Cr.f.513
Post duplicis Infulæ decora, Purpuratis Capitolij Rom:
adscriptum:
SIGISMVNDVM,
Regum ad amussim exemplar, Et quē Polonia Regem Cr.f.518
habuit, Patrem agnouit.
Filias præterea Tres,
Heduigem Bauariæ, Cr.f.551
ZOPHIAM Marchionis Brandeburgici, 2.f.560
BARBARAM Saxoniæ, ELIZABETHAM Legniciæ, 3.f.576
Principum Consortes. Bul:4 f.532.
Præ-

Præclarissima Austriacæ fæcunditas,
Etiam in priuatis penatibus desiderabilis;
Nullæ quippè solidiores Regnorum diuitiæ, quàm Proles Regnantium.
Temnitur improlis Orbitas Principis,
Et plerumq; ante occasum, ortum alterius solis respicimus:
Aliter obseruaturi Patrem, cuius filius regnaturus sit.
Magna etiam ELISABETHÆ felicitas,
Non solùm quòd quatuor Regum Mater fuerit;
Ac ex se Regnantes per se viderit,
Nisi D. CASIMIRVS,
In tantùm Palmam gloriæ Regibus antecepisset;
Quantùm Cælestia terrestribus præcellunt.
Par fæcunditati Pietas,
Dùm saluificæ Crucis, Sacellum In Cathedr: Crac: erigit;
Cr.f.598 Templum D. MICHAELIS, in Arce, mystis excolit;
Basilicam S. STANISLAI Martyris, sacra supellectili ornat;
In D. O. M.
Recognitionem supremi Dominij,
Jn Cælestis militiæ Polemarchum cultus debiti,
In Principis Ecclesiæ Patronum, piam venerationem testificata.
Quid plura incomparabilis pietatis documenta?
Sufficit Austriacam fuisse;
Nàm stirpibus alijs, Magnos, Fortes, Eximios
Genuisse contingens est.

Au-

Austriacæ Domui,
In Deum Pietas, gentile bonum, ac congenita qualitas,
Hâc insignis supra Coronæ fulgorem virtute,
Moritur: Anno Ch: 1505. Cr.f.590
Regnauit quantùm Reginarum rara,
Genuit Reges, quantùm nulla.
Ringatur inuidia, sanè affirmem,
Affinitatem Austriacam, rebus Polonis Panchrestum esse.
* * * * * * * * * * *
Quàm verò sæculũ illud, nondũ tàm perditè, adulãdi infectũ artib9, tantæ Heroinæ æstimauerit Virtutes: subiungo Pòéma, non ignobilis illâ tempestate, vt opinor, Poetæ.
Epitaphium ELISABETHÆ Austriacæ,
CASIMIRI Regis Polon: Consorti,
Si te scire iuuat res claras, siste viator;
Et modica hæc saxis Carmina sculpta, Lege.
ELISABETH iacet hic, Regni Regina Poloni;
Fæmina, quâ nunquam maior in Orbe fuit:
Filia Cæsaris, atq; Soror, tùm Regia Coniunx;
Et, Mater Regum quatuor, ista fuit:
Quintus adhuc Iuuenis, Diuorum sorte potitus;
Sextus, Pileoli fulsit honore rubri.
Sex pariter tulerat natas, magnisq; locauit:
Principibus, claros quæ genuère Duces.

Huic Agrippinæ concedit gloria, Cæsar
Cui natus Frater, Virq; Paterq; fuit.
Namq; illam constat turpi vixisse tenore,
Horridaq; à Nato fata tulisse suo;
Hæc, castè & sanctè Lustra bis octo peregit;
Cælo animam, Cineri restituit cinerem.

ACAG.F

HELENA

Alexandri Regis Poloniæ, Vxor.

Veh tibi Polonia!
Si tam diu, tenax Romano-Catholicæ religionis cultrix,
Peregrinis ritibus, solium Sarmaticum contaminas:
Felicitatis tuæ terminus,
Pridem susceptos DEVM colendi ritus, retinuisse.
Nouitia, aut externa, auersari,
Consilium Facti, res ipsa, Euentus deniq;
(*Quem plerumq; stultorum magistrum aiunt*)
Ostendêre imparitatem Matrimonij,
A disparitate religionis
Biel. f. 494 HELENÆ,

IOAN-

IOANNIS MAGNI Moschorum Ducis Filiæ,
Alexandro Polonorum Regi copulatæ.
Faceßant Pseudopolyticorum artes, quibus inter Stabilienda tranquillitatis, aut augendæ potentiæ Arcana,
Arcanum est:
Diuersos fide Principes, Thalamo coniungi expedire;
Ac religionem, infra publicam vtilitatem, poni quandoq;
Atheistarum perditissimus hic Aphorismus;
Sanè non negauerim,
Ministerio mulierum, SPIRITVM S. compluries,
in conuertendis maritis vsum,
Asserente Paginâ Sacrâ. *Virum infidelem, per mulierem Sanctificari.*
Ast sæpissimè ab hac vxoria manu, toxicum propinatum.
Et quis vicerit? Si prudentissimus Salomon succubuit,
Suorum Idolorum Idola Colens.
Prudentior illo ALEXANDER noster, non felicior fuit:
Cui, Græcanicæ vxoris ducendæ, summa ratio;
Vt,
Eâ contractâ affinitate, peruicacissimæ in suis erroribus genti, ad obedientiam Vniuersalis Ecclesiæ, via sterneretur:
Vt
Inter conterminos Populos, acerrima bella, pijs fœderibus dirimerentur:
Accedente præterea dispensatione,
ALEXANDRI VI. Pont: Rom: *Biel. f. 494*
Poloniam introijt: A. Ch: 1495,

O2 Verùm

Verùm *caucaseâ rupe, durius mulieris ingenium;*
Etsi caro niue mollior est:
Oßeum hoc congenitæ temeritatis reconditorium.
Efficaciùs dicere nouit, quàm dici, & persuadens magis,
quàm persuasibilis.
Procax ore, corde dura, Animo inflexibilis,
Fæmina.
Quid si Bizantini errores, tenaciùs quàm lappæ vesti adhærescũt;
In Matrimonio,
Nunquàm bilingues coniuges, vnicordes eße poßunt:
Etiam hîc,
Dum vir, Romanos iuxta ritus NVMEN adorat,
Mythologa Vxor, græco Roxolano murmure, diuersis altaribus
Obstrepit.
Frustrà in excutiendo errore allaborans REX,
Oleum, & operam perdis;
Erige Moscho Ruthena delubra, circumduc intonsorum
Druidum agmina,
Corpus animumq; bifariam discinde? oportet:
(*Si vxor dimidium tui*)
Patrijs sacris medium, alteram partẽ tui, vxoris delirijs, diuisur.
O quàm multùm humana prudentia, sub Diuina Prouidentia
Cespitat!
Elongatur ab ijs Numen, qui volentes ipsi, à Numine
receßerunt.
Vinculum illud coniugij,
Quod stabiliendæ pacis, hostimentum esse debuit;
Inter Generũ, Socerũq;, acre hostilitatis incitamẽtũ extitit:
Versa in luctum Cythara.

Námq;

Námq; Moschus, obstinatam Filiæ temeritatem, armis asserẽs;
Ferro, ac igne, inundat Lithuaniam;
Poloni, Lithuaniq; vim, vi reprimunt.
Quanto constitit sanguine, vnius capitis peruicacia?
Aut quantùm obfuit, Polytici consilij nocentißimum virus!
Credite Principes,
Vt omnia incrementa sublunaribus rebus, à sole prodire;
Ita felicitatem Regnantium, à conseruata aut culta
Religione.
Ita tùm ALEXANDRO, alias non vituperando Regi,
Successit Coniugium.
Quantùm eheu! commodis publicis intentam mentem,
excarnificauit EXCETRÆ illius, rixosa commansio,
Quantùm pupugit, inimici generi, infestißimus animus!
Quantùm doluit improlem se, & non propagatæ
IAGIELLONICÆ Familiæ reum.
Hæc consilio imputata, in effectu tolerata.
Verùm etiam tu HELENA, inconsultæ temeritatis *Biel. f. 494*
Pænas lues;
Regina vocaberis Diademate carebis:
Ac quæ capitis tui, (id est Viri, iuxta D. Pauli Decretum)
probum de Religione sensum, sequi recusas,
Proprium, quod Corona Regia insigniretur, indignum
planè ostendis.
Quis credat? adeò Coronarium Aurum in Polonia
prudens esse?
Vt non nisi Orthodoxo capiti, se imponi sinat?
HELENA itaq;
Decoris Regij cassa, Amoris coniugalis vacua,
Subditorum affectùs expers,

O3 ALE-

ALEXANDRO Rege, Marito mortuo,
Dùm aliquoties in Moſchouiam cum ſuo Schyſmate,
ac ſi noctua in nidum reuolare tentat,
Biel. f. 518 Retracta, ac retenta:
Tandem fato fungitur, A. Ch: 1513.
Sepulta Vilnæ, in Capella ritus Græco-Rutheni.
Ita quæ Cimmerijs inuolutam tenebris vitam egit,
Vix face Hiſtoriæ eget, niſi Regina eſſet.

BARBARA

Sigiſmundi Primi Regis Pol: Vxor I.

* * *

Cruda vocabulo, Mitis ingenio,
Placida moribus, Vitâ breuis,
BARBARA Regina Poloniæ:
Cui, Diſtichon illud apprimè quadrat;
Barbara ſum, non ſum, ſum miti pectore Virgo;
Nec qui me genuit, Barbarus ille fuit.
Biel. f. 518 Namq; STEPHANO ZAPOLIO, Comite Scepuſienſe ac
Pal: Tranſiluan: genita,
Quidquid antiqui decoris, ſplendoris, ac opulentiſsimæ Gazæ
fuit: ſecum ex Vngaria in Poloniam tranſportauit.
Sed

Sed maneant hæc crepundia Vngaris.
Pietas, Modeſtia, Comitas,
Et quæ alia, præter Spectatiſſimam formã, mulierum ſunt
Ornamenta,
In BARBARA veneratur, & æſtimat Polonia.
Etiam felicitatis illa ſuæ compendium habuit:
Virorum fortiſſimo, Ducum fortunatiſſimo, Regũ potentiſſimo,
Nupſiſſe Sigiſmundo;
Triumphis ex hoſtibus, Reuerentia ab exteris, Amore à ſubditis,
Præclariſsimo.
Coronatur BARBARA: A. Ch: 1512. Biel. f. 519
Per Ioannem Łaſki, Archipræſulem Gneznen:
Coniugium illud ſummè concors, vt vidit, inuidit fortuna;
Quæ ferè ſemper dùm magna, ſui auara eſt, ſeipſam
deuorans.
Enimuerò, magna ſui parte truncatur felicitas Regis;
In BARBARAM,
Jmmanem mortis manum exerente Fato.
Ætas immatura, Forma incomparabilis, Qualitates excelſæ,
Longeuitatem ſpondebant;
Niſi Mors, ludere par, impar, pridem ſueta, abriperet
ornando ſepulchro, illud ſæculi ſui Ornamentum.
Nàm *excellentia quæq;, etiam in Sepulchro reſplendent,*
Vt aurum inter quiſquilias.
Ac indiſcreta Libithina non ſolum ſilicernia, ſed &
fragrantes florentis æui ſurculos demetat:
Optimos terræ exdecimans, Cœlo vt reddat.
Poſt-

Poſtquàm verò BARBARA
Heduigem Filiam genuerat;
Biel.f.178 Poſt Joachimo, Marchioni Brandeburg: nuptui datam;
Ac rursùm Annam Filiolam enixa,
Jnter ſummos funeſti puerperij dolores,
Vix triennio conuiuens, marito extinguitur:
Biel.f.192 Anno Ch: 1515.
Funus ſuum à mærente Marito, ac dolentibus populis
defleri fecit.

A SIGISMVNDO,

Profligatæ Scytarum Myriades, internecione deleti
Moſchorum exercitus, Illuſtrata Victorijs Polonia.
Amarus in funere dilectiſſimæ Coniugis dolor, vinci non
potuit altè cordi impreſſus;
Niſi prudentiſſimus REX, fortiora è complexu Reipu-
blicæ ſolatia, petiuiſſet.
Hic eſt, ô MATRES! fæcunditatis veſtræ fructus,
Hæc ingens à pariendo gloria,
Ante partum timere, in partu pati, poſt extingui.
Vltrà, quàm Protoparenti irrogata mulcta,
Cui, in dolore paries dictum:
BARBARÆ, poſt partum mori.
Mortis atrocitatem intenſiùs conſidera Lector,
Inducias vitæ ſæpiùs malis, quàm bonis concedere.

* * * * * * * * * * *

Huic Andreas Cricius, non ingratus Heroinæ ſuæ
Miniſter (Cancellarius namq; eius fuit, ac poſt
Archipræſul Gneznenſis) tale exarauit, non
Sinè lachrymis Epigraphe.

Quàm

Quàm ſit in humanis fallax fiducia rebus,
Diſcat ab exemplo Fæmina Virq; meo.
BARBARA, nata quidèm præclarâ ſtirpe, ſed eius
Factâ, fui fato gloria prima meo.
Nupta SIGISMVNDO, longè Clariſſimo Regi,
Et tenui, fauſtâ Sceptra Polona manu.
Vidi læta meum, vincentem multa Maritum,
Millia Moſchorum, millia multa Scythûm.
Sed Parcæ primam ſobolem inuidêre cupitam,
Demùm inſperata me rapuêre die.
Quatuor ætatis, cùm vix mea luſtra peregi,
Cùmq; decoris erat, meſsis agenda mei.
Nemo igitùr vitæ, nemo alto credat honori,
Mors indiſcreta, ſingula falce metit.

Eidem aliud,

Nil te Diua fuit, toto præſtantius Orbe,
BARBARA, nil maius poſteritate tua.
Sed quia magna cito, mutat fortuna tenorem,
Ante Diem raperis, ad meliora tamen.

P BO-

BONA SFORCIA

Sigismundi I. Regis Poloniæ, Vxor II.

Optimæ BONA succedit,
BARBARÆ Ciuilior,
Hæc illâ magis Polyticis artibus instructâ, vsq;
Etsi sexum istum sua imbecillitas, hisce arduis immisceri nolit
Obiecto,
Competentiori iuxta Romanæ illius effatum,
Fidem seruare, Domum propagare, lanam facere,
Multas tamen sua curiositas, aut erectius ingenium,
Huc impulit; etiam BONAM.
Illa,
Biel. f. 139 IOANNIS SFORCIÆ ac IZABELLÆ FERDINANDI
Arragonum Regis Filia,
Quâ Apulia Erithræum bibit, & delicata Campania
præit cæteris orbis plagis,
Barij, ac Rossani, Princeps,
Genere inclyta,

Præ-

Præterquam, quod SFORCIARVM nobilis Sanguis,
Et Mediolani Dominatu percelebris,
Etiam Neapolitanorum Regum, pro fide Orthodoxa
Commendatissimum Genus,
Hac celebri generis Dote, placuit Regum maximo
SIGISMVNDO Primo:
Ac Poloniam, Veneranda Hospes, introijt,
Summo cum applausu populi.
Licuit siquidem, liberæ semper Poloniæ, eas per Orbem
scrutari diuitias, quarum procul, & de vltimis
Finibus Terræ, prætium.
BONAM,
Grande Regalis Throni, Solatium, ac Fulcrum,
Quæ vt iam coronati capitis, commodiùs corona esset.
Reginale Caput, Diademate redimitum:
Anno Ch: 1518. Biel. f. 139
Vniuersalium Comitiorum tempore, Actu expedito
Per IOANNEM ŁASKI, Primatem ac P P.
Quas tum Ouans, populus, effudit voces,
Qui vniuersorum applausus, fuêre;
Bonam, pro non mala accipientes:
Subscripto insignibus Neosponsorum Disticho,
Ne mirere hospes, iunctos anguemq; aquilamq;,
Hos qui cuncta potest, iungere iunxit Amor.
Simplicissimo Polonorum candore, vt scapham pro scapha,
Lintrem pro lintre accipiant,
Concordante pectorum sensu, cum verborum sono,
Desiderium BARBARæ, Bona extinxisse VISA;

Aut

Aut BARBARA in BONA reuixisse.
Præstitisset equidem,
Si vno tenore, æquabilis, intactam consilijs suis
Rempublicam, siuisset;
Erectioris supra sexum ingenij Munimentum fuit:
BARIVM,
Italicæ Vibi cognomen, Row ante nuncupatum,
Præsidium ac Decus Podoliæ;
Quod si non sine cura, conseruandorum Propugnaculorum, agimus Poloni?
Instaurandæ, ac retinendæ Arces
Hæc sunt, ORNAMENTA PACIS:
AC CLYPEVS BELLI.
Destinatas luxui Aulico opes, & subiectas hastæ publicas Diuitias, turpè absorbet prodigalitas,
Vt Eurippus iniectas merces.
Vtinàm, vbiq; Regnorum nascantur MAGNI,
Et semper CASIMIRI,
Regium quippè vnicè munus, deserta excolere, exculta munire, munita conseruare.
Huc addiderim, fæcunditatis BONÆ gloriam,
Nàm, à laudata prole, Matribus laudari, summa Laus:
Vt è contra summa infamia.
B f. 545 Præter Sigismundum Augustum,
B f. 579 IZABELLÆ, Ioannis Hungarorũ;
CATHA-

CATHARINÆ, Ioannis Suecorum; G f. 569
ANNÆ, Stephani Polonorũ P f. 61.
Regum; consortium Parens.
Sophiæ quoq; Duci Brunsuicensi desponsatæ, B f. 597
Æmula nurus, ELIZABETHÆ socrui; quæ etsi plures ediderit Regnantes; hæc, plures Regnantium Vxores;
Quid plura?
Maximorum mariti Triumphorum consors, vitæ Satur,
Cœlo confinis;
Ad Elisios Campos, ex Apulia, compendiosius credens iter,
Dereliquit Poloniam.
Nàmq; procurandæ valetudini, consulem nacta Italiam, Poloniam, & vitam amisit:
Anno Ch: 1558. Biel. f. 607
Hæc in Antilena Marmoris,
In Postilena,
Vt fermè rarum Ianum reperias,
Quem nulla à tergo Ciconia pinsat,
Ac *sæpè calami, & cala, liberiùs in obscuro pungunt,*
Gentilitio Sforciarum serpenti, eos subiunxere Versus
Quando sub Arce fuit, Cracouia sola peribat,
Cum sit in Arce Draco, Patria tota perit.
Plerisq; Cadmæum, stemma sinistrum in omen trahentibus;
Voraci namq; gutture, infantulum glutiens;
Inexplebilem Auri sitim, portendere visus.
Tùm reperto,
 Con-

Congerendi metalli compendio, per deprauatam
DISTRIBVTIVÆ IVSTITIÆ lancẽ,
Pane Benemeritorum,
Acsi, in foro cauponario nundinando,
Gor.f.136 Hinc exprobrata non nemini venatis Infula;
Etiam ille vendibilem fuisse reposuit.
Væ Populis!
Vbi per sacrilegia, in sacrificia itur!
Et PETRO *exulante, Romanum Ciuem* SIMON *agit.*
Dehinc,
BONÆ
Grata Polonis fæcunditas,
Grauis Reipublicæ Maternitas fuit,
Gor.f.s Dùm, spem Regni vnicam filiũ, inter Gynæcei blãdimẽta
Mollius educat:
Cum ætas prima, post tincturam voluptatis,
ægrè alium colorem bibat.
Primos quidem ad magna igniculos, à natura indi palam est,
Verùm ab educatione formari, Ab institutione perfici,
Incongruenter inter acu pingentes puellarum greges;
manum sceptro asuefaciet Regnaturus.
Ac enutritus inter vittas, sub Galea dicet,
Non inter Caules,
Ita filium materna lenitate, Virum Vxorijs artibus irretiit,
Viduata Marito,

Vt ferè

Vt ferè gradatim bonitas ascendit, pronum malitiæ
in abrupta iter;
Filio gnatisq;, Regno ac Populis, Regia, & penatibus,
Derelictis:
In Italiam abijt; Biel.f.601
Corrasas opes, ex emuncta, tot Annis Polonia, non iam
Clitellarijs asellis, sed onerarijs Curribus
Euehens.
Vt nuper in educatione Prolis, nimiâ excedens Indulgentiâ
Ita nunc, vltra Matrũ ingenitos affectus, quos genuerat,
Crudeliter deserens,
Perterebratæ Olim Alpes ab Annibale, etiam à BONA,
Ab illo transducendo exercitui,
Ab hac euehendis opibus,
Vtrisq; consimili studio, in ITALIAM.
Itaq; vt vbi thesaurus eius, ibi & COR esset,
Moritur Barij, in Apulia,
Exhæredata prole, opima deuolutione Hispanias ditans:
Imò PAPAGODAM Italum, Pias.c.f.
Fictis non factis, extremæ voluntatis codicillis,
Deuoluta, attamen in Regnum hoc Regesq;
Perpetui Litigij post Bonam Successio;
Summæ Neapolitanæ.
Tanto terrarum tractu, si malum nomen Debitor,
Maioribus impendijs repetendæ;
Abi Lector,
Et, si libertas, ingenuè exprimendæ veritatis placet,
approba;
Si intutum carpere Reges, & vltor est, quisquis successit
En Spongiam.

ELISABETH
Sigismūdi Augusti Regis Pol:, Vxor I.

* * *

Lege Viator hos Logos,
Mirare has mortis Strophas,
Diutinam Iagiellonici nominis propagandi,
Expectationem subito euanuisse;
Solis in morem, qui de manè fulgidior, imbres minatur.
ELISABETH siquidem,
CAROLI V. Imperatoris Neptis Biel.f.511
FERDINANDI Romanorum Regis FILIA,
SIGISMVNDO AVGVSTO,
Ex Maiestate Regni maritando,
Vt nonnisi, in Augusta Domo, AVGVSTVS nuberet.
Pacta sponsalibus, Excusata Annis,
Ad maturitatem ætatis, dilato Hymæneo;
Omne parentum studium, ac meditamenta Reipublicæ,
Breui conuiuens Marito euertit.
Illud Austriaci Cæli Sydus

Vt

Vt breuiùs soletur Poloniam, maturiùs oritur,
Vt feriat grauiùs, ante diem occidit.
Summa hæc felicitatis erat PARENTI, REGI, SENICVLO
Domum stabiliuisse.
Intrat itaq; magno conducentium ac recipientiū gaudio,
ELISABETH CRACOVIAM; Biel.f.584
Ac per PETRVM GAMRATVM, Regni Primatem,
Eundemq; Episcopum Cracouiensem, Biel.f.581
(Adeò tùm Cleri indiga Polonia fuit, vt vnus multiplicatas Pastoralis Officij Curas, sustinere cogeretur)
Coronatur, Anno Ch: *1543*
Ex hoc coniugio, Florentibus Domus Austriacæ rebus,
Tria sperata sunt,
Vt fermè eiusmodi matrimoniorum contractus nunquam sine respectu fiunt.

REBVS POLONIS,
SOLATIVM, SVBSIDIVM, AVGMENTVM,
PATRI, FILIÆ, FILIOQ;,
Etiam Poloniæ.

Verùm non semper respōdet magnæ expectationi euēt9.
Et volubilis inconstantis fortunæ genius,
raró proposito mortalium sociatur.
ELIZABETH etenim, non respiciente excelsissimas Dotes Fato;
Ad æternitatis Prytaneum euocatur:
Anno Ch: 1545. Biel.f.586
Ferali tum peste Poloniam, quâ latè patet, inundante
Inter dolentis Lithuaniæ gemitus,

Q Ac de-

Ac desideria Populorum:
VILNÆ, Magni Ducatus Metropoli, sepulta.
PARENS ITAQ; REX,
Perfunctorio gaudio, acsi somnio vsus, vnde felicissimus erat, Miserrimus fuit;
Nàm minore doloris sensu negata cupiuntur, quàm data auferuntur.
IZABELLA Regina Hungariæ.
Non improficuam affinitatis Austriacæ, rebus suis medelam expertura, si perdurasset:
Atrociùs recrudescente vulnere, si capta curatio, intermittitur.
AVGVSTVS Filius,
Diu sponsus, breui Maritus, mox Viduus,
Pridem pactam expectans, Aduectam cupitè recipiens, receptam in breui amittens.
Inter
Poloniæ desideria, ac Domus Austriacæ lachrymas,
Elatam magno luctu defleuit:
Præterquam, quod
PIA, MODESTA, PVLCHRA,
Si succestricem respicis nimis quàm desiderabilis,
Nàm si coætaneo Scriptori LVCÆ GORNICIO,
(Vt ferè *ocularis testibus plus fidei inest*)
Credimus, non modo probatissimis moribus Reginam
Gor. f. 13 Sed fæminam, planè sanctam fuisse asserit.
O Mors!

Quam

Quam te nulla capit miseratio nostri!
Neminē sua probitas eripit, Neminē improbitas tegit,
Celsitudo iuxta & abiectio vnâ iacent ruinâ.
FATVM, ô FATVM!
Inscrutabilis Mysterij vocabulum,
Nisi Christianè acceptum, quod de vnoquoq; nostrum,
Fatus est DEVS.
Breues itaq; Populi Poloni Amores,
ELIZABETH,
Lethi viam, quæ cunctis calcanda est, ingressa;
Abi Viator,
Et seu logos seu strophas mortis consideras;
Dole.
Et te, si sapis, præpara; mox in viam vniuersæ Carnis
Iturus.

BARBARA RADIVILLIA
Sigismūdi Augusti Regis Pol: Vxor II.

❀ ❀ ❀

Buccinatrix Fama,

 Cuius

Cuius sonorus clangor, & quâ sol oritur,
Et quâ occidit, Regum gesta enarrat.
Eo vocalis Litui sono,
Vt de bonis magnalia, de discolis vera occinat.
Prout quis ex præclarè gestis laudem, Aut ex sequioribus Actionibus, notam meruerit.
Te simul implumem, ac elinguem,
Simul volatilem, ac disertam,
Paucis volo:
Tu, nemini bonorum iniurius Archilochus,
Nulli malorum indebitus Encomiastes,
Sed ex æquo, ac merito, vtrisq; Iudicia diuidens;
Primum refer SIGISMVNDI AVGVSTI,
Alterum sed non secundum Matrimonium:
Quod, neq; sileri sine angore, neq; dici sine curâ potest,
Ducta
Biel.f.58. BARBARA, RADIVILLIA,
Gasztoldi Palatini Trocensis relicta Vidua,
Iam verò, si tacita inter priuatos, eiusmodi fœdera,
Nullitatis sunt;
Quid inter Reges?
Quibus cœlo, & sole testibus viuendum est?
Orr.f.14 Ingemuit Vicinus morti Atlas Sarmaticus,
SIGISMVNDVS Pater,

Adeo

Adeo sub affectum præ dominio, titubare Alcidem suum,
Sarcinæ Olympi Poloni, ægrè suffecturum;
Nisi negare ille, hic mori instititisset.
O afflictam Parentum Fortunam!
Si successus Prolis, magis contristent quam solentur.
Excusatio facto nulla, nisi ab Amore;
Si protegendis vitijs, vitia, Clypeus esse possunt:
O Venus! Venenatus Animorum aculeus!
ac venatrix animarum!
Quæ terribili leonum serie, fultum Izraelis Thronum aggredi, & peruertere ausa
Neq; tum Augustus noster, ætate, rebusq; florentibus,
Salomone aut fortior, aut prudentior fuit,
Venustæ mulieri, facilis in nassam præda ruit:
Ex præclaro illa Ducum sanguine, Oriũda;
RADIVILLORVM.
Quid ad hæc?
Quæ vnius syderis, ad suum solem Comparatio?
Malè id habet Polonos, Lithuanosq;,
Impari Coniugio infensos;
Eâ vtrorumq; libertate, vt cum Principum factis, magis, quàm cùm fortuna illorum loquãtur.
Tum Tribuni Plebis,
(Nuncios terrestres vocamus)
Deprecantes simul & intercedentes,
Coniugium dissolui petunt;

PETRO BORATYNSKI, perorante non magis facundè, quam liberè.

Gor. f. 14

Nimirum illi Populi, Reges suos solidiùs amant, quibus non solum factis laudandis, sed & erratis deprecandis, ingenuitas adest.

Virulentissimum aconitum assentatio,

Remotum agentibus liberrimis vitium.

Equidem ea Polonorũ, qualitas ingenita videtur, Regum suorũ vitijs primo irasci, deinde tolerare, mox obliuisci.

Etiam tum Augustus REX,

Acerbo responso, Concilium Ephoricum dimittens, *Iacturam se Regni, quàm fidei faciliùs passurum*

Gor. f. 33

Respondet:

Si sublunari Orbe fides exularet, Regibus retinendam, Uxori periurus, qui vobis pactis conuentis stabo: Regnum reddere paratus, Coniugem eripi haud patiar:

Ita tunc inter requirentes ac requisitum Lachrymæ, finem dicendi fecerant.

Et dùm Rex BARBARAM, Poloni Regem, amittere nolunt;

Vtrinq; dispendio incomparabili.

Augustus Liuiam retinet, subditi Augustum,

Nàm promptum naufragare Regno illi,

Vbi

Vbi aut omnia Monarchæ conceduntur, aut nihil Necessaria Libertatis, cum prudentia mistura:

Nè, quod litigantibus olim, pro infante Matribus, Etiam scissis statuum studijs, bifariam discindi; Corpus Reipublicæ necessum sit, Inuitis Polonis Lithanisq;.

Coronatur BARBARA,

ANNO Ch: *1550.* Biel. f. 591

A IOANNE DZIERZGOWSKI, Arch: Gneznen: P. P.

Sed mors, plusquàm Tribunitia potestate intercedens, Breuem Diadematis vsuram permisit;

Humanis excedente Anno *1551.* Biel. f. 593

Ita Matrimonium illud, primo Contractu Lætum, euentu triste, vsu haud diuturnum fuit.

Ad Abaui exemplum, pro nepote se conformante; Excusabiliore tamen Augusti facto, Qui, spectatissimæ formæ aucupio florens & ipse Annis, Iuueniliter irretitus.

Non expertes quoq;, Lithuanides Matronas, Regij tori esse voluit;

Ad solidiorem Vnionem Valituro facto, Velut in æquilibrio posita, vtriusq; gentis sexus prærogatiuâ;

Nubendi pro semel Regibus,

Facto magis cum venia, quam extra Crimen.

Tumulum Sortita ea VILNÆ, natali solo.

Hem! robustos virorum, ab imbelli venustæ mulieris, Vultu constringi: & quod mirere, fascinum

formæ

formæ, advsq; solia Regum extendi.

* * * * * * * * * *

Staröwol. Huic quispiam funebre Carmen adscripsit;

BARBARA, quæ tegitur tumulo Regina sub isto,
AVGVSTI Coniunx, altera Regis erat.
Commoda multa tulit, multis incommoda nulli;
A qua se læsum, dicere nemo potest.
Immatura obijt, decima trietendi rapta:
Bis viduos fatis, linquere iussa toros.
Occidit ante diem, & quamuis Anus illa fuißet;
Diceret AVGVSTVS occidit ante Diem.

CATHARINA
Sigismundi Aug: Regis Pol: Vxor III.

* * *

Repugnantibus legi Diuinæ consilijs,
Imperia retineri: qui putat; nimiùm quàm fallitur.
Pseudopolyticorum consiliis inniti, idem planè, quod pertusa carina nauigare.

Ineluctabili immissis aquis naufragio,
SIGISMVNDVS AVGVSTVS,

Ne

Ne Iagiellonici nominis, lucerna extingueretur;
Iterat Vota:
Imò geminatis votis, vt extingueretur, facit.
CATHARINAM AVSTRIACAM,
Maximorum Imperatorum prolem clarissimam,
FERDINANDI Mantuæ Ducis, relictam Viduam, Biel. f. 597
Ach! quam infausto sidere ducens;
HELIZABETHÆ, prioris coniugis germanam,
Nec inde piaculum, sed quia sororem.
Angustus Orbis erat, ex lege Diuina, maritando Regi;
Aut Europeorum Monarcharum Gynæcea, nubilibus vacua.
Væ Consultoribus, qui dicunt, malum, bonum!
Et irato Cælo, turrim Babel ædificant.
Copulatur sinistris auibus, Regium par, ordinariam Dotem recepturum;
Maledictionem Numinis, Carentiam Prolis,
Et nihil vspiam lætum.
Quod si efficaciùs per exempla, rem metiri placet;
Magnum magnis exemplum, sufficit;
HONORII AVGVSTI, Romanorum Imperatoris,
Duas Stiliconis Filias, sibi copulantis, Appen. Eutrop.
Ex neutrâ susceptis Liberis,
Vtrisq; immaturè sublatis,
Vidit eheu! tumultuans Septemtrio noster,
Imò sæculum, quo viuimus.

Malè succedere, vetita sororum coniugia: at ex hac infausti Hymanei face, fumare regna incendijs.
Vbi ita delirant Reges; plectuntur Achiui.

R Reci-

Reciprocatio etenim quædam est, Regum peccata in populos; Populorum in Reges aeuolui.
Vicaria substitutione, his pro illis, & è contra pœnas luentibus.

Etiam AVGVSTO,

Biel. f. 599 Præter sublapsæ Hæresis malum, & depopulatæ Russiæ Calamitatem,
Affuit iusta vetiti matrimonij Nemesis,
Disgregatis coniugum animis, discors commansio:
Donec propalato repudio,
Iidem illi Ephori, qui pro dimittenda BARBARA, nuper;
Iam nunc pro retinenda CATHARINA efflictissimè instarét.

Biel. f. 620 En curruli desilientem Archipræsulem
VCHANSCIVM!
Qui ante thronum Regis cernuus, non deseri Vxorem, Rogat, & minatur.
Eædem vniuersi Senatûs compreces, Idem Equestrium votum,
Retineret Coniunx Rex;
Indiuiduā vitæ sociam, CVI SACRAMENTALITER, cum DIVINI, Humaniq; Iuris cōmunicatione, spopondisset.

Optimus Regum AVGVSTVS
(Si fas Regnantibus vera dicere)
Non caruit peruicatiæ Næuo Ita respondēs;
Si omninò instent subditi, se non minùs Vxori, quàm Regno, Libellum repudij mittere Velle.

Haberent vtriq; res suas,

Sibi

Sibi eâ, quâ placitum via, gradiendum.

Quid ad hæc Poloni?

Etiam sufficit vobis intra verba stare; modestâ non molestâ libertate certantibus.

CATHARINA verò
Poloniam ingressa ac Coronata
Anno Ch: 1553. Biel. f. 598
Dispensante IVLIO III. Pontifice Rom:
Egressa Anno 1566.
Nescio quo Fato Augusti, Qui Triplici Coniugio Maritus:
Prima ieiunè dilecta, altera perditè amata, tertia indignè repudiata;
Iagiellonici Nominis ac gloriæ, improlis excedens, Colophonem imposuerit.
Non alia exul, visentium oculos, maiore misericordia affecit:
Meminerant plerīq; à CASIMIRO repudiatam Landgrauiā,
A Iagiellone, leui suspicione, ZOPHIAM inculpatam;
Illas tamen,
Priorem illaudata forma, Alteram mores iniquè accusati, Commiserationi exemerant.

CATHARINA
Tacitâ offensâ ac odio, cuius causa non subest,
Diuortium, remisso nuncio accipit:
Infæcunditatem alijs; Alijs ex obesitate fastidium, in causā disgratiati Conuictûs, substituentibus.
Itaq; illa lætior olim vidua, quàm nunc Coniunx,
Dolentiùs secundi nuptûs separationem; quàm prioris

 Mari-

Mariti funus accipiens;
Probata Iñocētia, Damnata Fortuna,
In Austriam rediit;
Gentilitiam auiti stemmatis Tæniam incusans: quæ
infausto ligamine, vni duas Sorores copulauisset.
Altiùs imprime Capiti tuo Polonia,
Consilium, Factum, ac Euentum
Comperies:
Nunquam intra vetitos Sanguinis gradus, Nuptias
DEO placere.
Non tamèn succensé Optimo Regi posteritas,
Imò consummatæ Libertatis Parenti
applaude.
Qui,
Dum auream ex sé prolis successionem dare non poterat,
Vnionem inæstimabilis pretij,
Polonis, Lithuanisq; post se reliquit.
Nemo fortunam, neminem fortuna, in compendio habuit:
Aut quisquam ita absoluta felicitate ditatus,
Vt sinè exceptione, Regula esset?
Alium Vxoriæ illecebræ tenent, sed affectu popularium destituitur:
Rixosi alium penates emacerant, sed amoribus Subditorum celebris manet:
Equidèm non omnia poßumus omnes.

IESVS MARIA IOSEPH.

HYPOMNEMATIS REGINARVM POLONIÆ,
PARS TERTIA.

ANNA IAGIELLONIA
Stephani Battorei, Regis Pol: Vxor.

Hûc ouans mærensq;, subacta tristibus lætitia,
Commoda oculos viator:
Iagiellonum Sanguinem
Sarmatiæ, quâ latè patet, præesse gaude;
Vbi primò.

 Per

Per lineam gladij eum defecisse, subinde dolueris;
Post Fratrem Soror, Post Virum Fæmina,
Rebus admota Poloniæ
ANNA
Pia: f. 61 SIGIMVNDI I. ac BONÆ SFORCIÆ, Reg: Pol: F.
Nescit quippè firmus, Polonorū in PrīcipesAmor,
Vllam metamorphôsim pati.
Mares electione, Fæminas adoptione, vtrosq; affectu, in solio locans:
A natura formato gentis ingenio, Parere semper, Seruire nunquam.
Nullibi etenim turpior seruitus, quàm vbi crebrior Dominorum mutatio. Nam nouiter rebus admoti, non perinde regnare discunt, quàm dominari.
Prothasis laudum, ANNÆ Iagielloniæ fuerit
Aequanimitas,
Dum IOANNI Finlandiæ Duci, minorem natu CATHARINAM, despondi videt:
Contra naturæ ordinem, delectu sibi iniurio,
Quem animosa Virago, non impedit, sed impellit,
Promouet, non remoratur.
Contra sexus mores, liuori ac inuidiæ obnoxios; & alienam fortunam, in suæ diminutionem accipientem.
Nisi fortè acceleratiùs, Nobile pignus Seciæ tradi cupit;
Sola semper, & omni POLONIA fruitura.
Namq; mortuo AVGVSTO Rege,

Inter-

Internæ tranquilitatis Arrabo, Eligendi concurrentis brauium:
Biel. f. 518 Quia adoptandi Coniunx,
Viuam se Columnam præbuit, ad quam velut pignus propositum; stadium decurreretur.
Hunc
DEVS. T. M. ac Suffragia, Liberæ gentis
Renuntiauêre
STEPHANVM D. G. Regem Poloniæ:
Hæc tanti Herois Coniunx, Hic istius Heroinæ maritus,
Vtriq; suo ipsorum Voto, maiora nacti:
In æquilibrio adhuc dum posita lance,
Maiorne ab Vxoris claritate? an à Viri præclarè gestis,
Splendor Regno huic accesserit?
Cum fortitudine æq; felicitate Rex. Pietate ac comitate ANNA Eniteretur.
Illo Regni pomæria, Vxore cultum diuinum
Enixè propagantibus.
Coronatur itaq; ANNA Anno Ch: 1576.
Per IACOBVM VCHANSKI Archypræsulem Gnez:
Verùm, vt nihil ex omni parte beatum;
Inter crebriorum Mariti Triumphorum adoreas,
In ipso reflorescentis Poloniæ vere,
Infructuosum Myrtum, dedicauit Lucinæ
Pia: f. 61 Improlis ANNA, licetsi decennio Coniunx;
Breui supremis funeris, maritum efferens, magnificè
Sepelit.
Spiritualibus suffragijs, & Regali pompâ funus ducens,

Vtroq;

Vtroq; amorem testatura:
Magnifica viuis, proficua defunctis, parentatione.
Post, quia ex se regnaturos non genuit: ex Sorore
Pia f. 71 genitum, in solium Sarmaticum promouit
SIGISMVNDVM III.
Diuturnitate Regnandi, & prolis numero,
ANNÆ sterilitatem suppleturum.
Nihil maiùs prima causa, præstare nobis,
Nihil vtiliùs egregij ANNÆ conatus potuêre,
Etiam si ipsa genuisset.
In Throno Sarmatico, Iagiellonum Sanguinem receptum vidit,
Sublatos felicissimis conflictibus æmulos aspexit:
Eluctatam grandia Interregni pericula Poloniam
gauisa est,
Ac
Priscam illam Polonam vitæ rationem, Auiti Moris, & candoris obseruantiam, natiuæ realitatis & sinceritatis normam, secum vnâ in sepulchrum abduxit,
Pia f. 172 *Subrepente (vt Piasecius inquit) Germanismo genti isti ingrato & aduerso.*
Præterea,
Patri, Fratri, tum & Marito, Regibus,
Phidiaco opere Mausolæa struxit:
Sacellum Iagiellonidarum, aureis laminis contexit;
Pontem Istulæ dorso insidentem, propugnaculo
Varsauiæ epiphiauit.
Aliaq; pacis opera absoluens,
Quæ perenniter famam autoris fantur,
Vsuram Lucis abdicauit. Anno Ch: 1596.

Abi

Abi Viator lætus simul & condolens,
Iagiellonidas, aut non nasci, aut non mori oportuisse,
Nisi felix adoptio, grandem iacturam rependeret.

* * * * * * * * * * *

Aliud ANNÆ Reg: Pol:

D. T. M.

Tempori, Æuo, Æternitati.
Nomini, Memoriæ, Animæ.
Opus, Marmor, Suffragium.
Erecta sunt
ANNÆ
Iagiellonici Sanguinis nouissimo pignori.
Ex Regnante linea primæ Reginæ.
Ex auitis moribus priscæ Maiestatis retentrici.
Quæ.
Vt celebriùs sortiretur coniugium, vltima sororum nubit.
Vt paternis Regnis imperitaret, peregrè maritari nō vult.
Vt firmiùs Poloniæ implantaret Iagiellonas, Sororinum promouet.
Virgo egregiè morata, Constanti fide Vxor.
Pacatis moribus vidua.
A SIGISMVNDO I. & BONA SFORCIA parentibus Vitā,

A STEPHANO Marito præclariſsimo Famam,
A SIGISMVNDO III. grato Nepote. Tumulum,
Sortita.
Vixit ANNA Satis
Mundo, Ecclesiæ, Regno,
Muneri, Virtuti, Naturæ,
Merito, Exemplo, Famâ.
Breui ſpatio Regina Regnans,
Orbata Viro, ſinè muliebri ambitu;
Nullo mater edito partu,
Niſi adoptiuus ex ſorore Nepos. SIGISMVNDVS III.
Auguſtos Maternitatis Amitæ titulos,
Anguſta laudati Regiminis felicitate
Suppleuiſſet.
Viator, ſi placet, ſubſcribe:
Etiam illos felices exiſtimans, licet ſi non ex ſe genuerint.
* * * * * * * * * *
SIMON STAROVOLSCIVS,
Id optimæ Reginæ in Monumentis Sarmatarum
reſcripſit Elogium.
ANNA REGINA POLONIÆ
Iagiellonidum, qui CC. propè annis regnauerunt,
Soboles Vltima.
Regum SIGISMVNDI I. & BONÆ SFORCIÆ F.
Sigiſmun-

SIGISMVNDI Auguſti Soror.
STEPHANI BATTORÆI Coniunx.
Cùm eſſet publico Ordinum conſenſu, cum Rege
marito Corona aurea, qnod eſt inſigne Rega-
lis Imperij, tempora redimita, & ſceptro
Regio dextram implicita, ſcapuleſq;
Sacro oleo delibuta, talis apparuit.
Anno Ch: *1567.*
* * * * * * * * * * * *
In Sarcophago
D. ANNA IAGIELLONIA
SIGISMVNDI I. Regis Filia,
IAGIELLONVM vltima propago.
STEPHANI BATTORæI Maximi Regis Coniunx,
Munifica, Pia, Religioſa.
Trium Interregnorum pignus Concordiæ,
Communis mortalitatis memor, hoc monumentum
Cineribus ſuis conſtruxit.
Vixit omnium laudum Regiarum laude florentiſſima;
Per ſingulos ætatis ſuæ gradus laudata,
Sacellum hoc veſtiuit tecto aurato,
Ornamentis & Cenſu locupletauit.
Extincta IX. Septembris Natalis ſui LXXIII.
Summo Luctu SIGISMVNDI III.
Sororis Filij, & totius Regni mærore ingenti
Anno Ch: *1596.*

A N N A

Sigismundi III. Reg: Polō: Vxor I.

Ingredere auspicato sublunaris Sphæræ Limites
A N N A,
Imò vitalis lucis vsuram hauri quantociùs:
Grandis Poloniæ vrget te exspectatio,
Nouum HERCVLEM, contra OTTOMANICA monstra genitura:
Tu felicitatis nostræ Pharos
Diuturnorum votorum meta.
CAROLI Archiducis Austriæ, & MARIÆ
Pia. f. 107. Ducis Bauariæ
Filia.
SIGISMVNDI III. Pol: Reg: & M. D. Lithaniæ
Coniunx.
Virginei pudoris gemma, Lucidum Augustæ Domûs iubar,
Mariti Ocellus.
Quam timuit Polonia, antequam haberet,
Gauisa postquam habuit;

Nàm

Nàm & *sectio Venæ ab ægro timetur: vbi facta, & conducibilis sanitati est, solatur:*
Ita tum Polonia,
Nouercam ANNAM verita, Matrem Patriæ experta.
Namq;
Scrupulosa quorundam Austriacæ magnitudinis æstimatio,
Et obliquus Liuor,
Ostendit innatū humani ingenii vitium; cui quādoq; est in securis metus, in metuendis securitas.
Et sua ipsi præsidia formidamus.
Sit itaq; optimè Optimi CARDINALIS RADIVILII manibus,
Qui suspicaces differentium Strophas haud moratus, Pia. f. 114.
Tradente sponsam ROM: IMP: RVDOLPHO
Matre Sororeq; comitantibus,
Debitum Authori suo pignus vendicat, VIENNA conducens
Cracouiam.
Felicissimæ tum Calendæ Maij,
Annusq; fausto Epitalamio celebris.
1592.
Quo ANNA Iagiellonia, matertera Reg: Poloniæ,
ANNA Sorore Sueciæ infante præsentibus,
ANNA Austriaca, regio Diademate Coronatur,
Per STANISLAVM KARNKOWSKI Archipræ: Gnez:
Illorum etiam, qui obstare videbantur, gaudio:
Excussit tum pennas præpes Poloniæ Aquila, ac in publicis numismatibus Ouans, subscripsit:
Amor distantia iungit,
Et

Animos sociasse iuuabit.

Vtroq; Lemmate, è profundiori Polytyces thesauro eruto.

Mox

Pandentibus fatis, SIGISMVNDO Regi, trans Balthicum Mare iter. Alterno Suetici Regni diademate

Coronatur Vspaliæ Anno Ch: 1594. Pia.f.149

Tum demum

Pia.f.150 Gemino insigni redimita, VLADISLAVM IV. gignit:

Hæc Olimpias, ALEXANDRVM Poloniæ,

Non binis Coronis solùm, sed Orbis Vniuersi Imperio Suffecturum.

Qui non vt Hercules, in cunis angues;

Sed pro crepundijs, Ottomannos protereret.

Orbis Christiani Athleta.

Terribile circumsitæ barbarici Nomen.

VLADISLAVS.

Reducto in effectum, Ecclesiastis Regij PETRI SKARGÆ

Vaticinio;

Qui vix natum infantem, tracto ex vi nominis Oraculo,

Laudis potentem dixerat.

Hoc Filio mater,

Nihil maius Poloniæ dare poterat, minus nolebat:

Etiam semel fæcunda, sat felix.

Verùm, dùm in spem tumultuantis intentrice Hæresi,

SVECIÆ alterum pignus, CHRYSTOPHORVM ederet, parat;

Præcoci Fato, sed pietate matura,

In

In Regionem viuorum ijt.

Hæsit intra exanimatæ Matris præcordiorum Conclaue

Pia.f.189 Viuus infans,

Donec exsectus ex vtero, in solitâ viâ, solem aspexit;

Sed breui vsura lucis:

Namq; maluit Orthodoxæ genitrici morte coniungi,

Quàm Rebelli Deo, ac Regi suo SVECIÆ;

Viuus præesse.

Matrem itaq; filiumq; simul extulit SIGISMVNDVS,

Geminato funere, doloreq;;

Quem verùm fuisse ostendit, spatium Viduitatis:

Quippè non facile excidit animo verus Amor: &

qui verè dilexit, diu mœret.

Moritur ANNA, Anno Ch: *1598.*

* * * * * * * * * *

Huius memoriæ, accinit Academica Musa, ijs Versibus.

Austriadum sublime Decus, Lux inclyta Lechi,
Deliciumq; sui temporis ANNA fuit:
Cui, frustra laudum telas ordire camæna,
Materies metro, grandior ista tuo est.
Ergo tace: de pollice, seu metire gigantem,
Eq; suo tantum germine disce nurum.
Cerne VLADISLAVM nostrum, qui, temperat Orbem;
Hic, clarat matrem, digna propago suam.
Tunc illa æternæ comprendit pignora famæ,
Cùm tantum diuo viscere, fudit opus.
Tam bona surrepta est præcoci funere Mater,
Vicini thalamos, ante puerperij:

Nimi-

Nimirum ipſe Polus timuit ne pergeret vltra,
Terreſtres Lechis, progenerare Deos.

CONSTANTIA
Sigiſmundi III. Regis Pol: Vxor II.

❁ ❁ ❁

Quintam vides Lector
Ex Imperatrice Auſtriacorum Domo Regij,
in Polonia Throni ſociam,
Cui conſilio Fati, ab ea VIRTVTE nomen eſt;
Quæ, in maribus rara: in fæminis miraculum
CONSTANTIA.
Neq; nomen ſine Omine, neq; numerus ſine myſterio,
Quinarius ille, vnitate ac duobus paribus conſtans;
Nàm, ſi principium numeri, id eſt:
Quod eſt primum,
Quantum à PRIMA AVSTRIACA, augmentum rebus Polonis,
Seu numerum prolis ſpectes; ſeu diuturnitatem Regnandi.
Placuit itaq;, ea cum domo coniungi,
Quâ non ſoli iam mariti vxoribus, ſed Regna
Regnis fæderarentur.

Iam,

Iam, non ſolas ab vno, ſed geminas receptas;
Hinc duo viſa, in thalamo Regio, SORORVM PARIA
Velut de induſtria, imparem numerum auerſaremur.
Expleuit itaq; eſſentiam numeri,
Ac inditi nominis vim, expreſsit.
CONSTANTIA. Pia.f.278
Nuptiæ tamen, intra ſanguinis gradum, Diuinis.
Sanctionibus vetitæ, malè populos habuêre:
Præterquam, quod Poloni
Obſtinati, ad ſacri Codicis Legum obſeruantiam,
Etiam tûm infauſtum SIGISMVNDI AVGVSTI connubium,
In modernorum triſte præiudicium, trahebant:
Cùm res tranſactas, velut in Speculo Euentus repræſentet,
Et, magis videmus ea quæ tranſierunt.
Non improuidè nuperus error, præſentis Magiſter eſſe debuit;
Diſturbando grandis machina Connubio,
CLEMENS VIII. Pont: Max: Pia.f.265
IOANNES ZAMOYSKI S.R.C. & E.G. DVX.
Terrarũ Nuncij, Auſtriacæ affinitati obliqui;
Horum I. differt, alter diſſuadet, reliqui obluctantur.
Neq; hic improperet quiſpiam,
Ingenuæ Polonorũ realitati,
Dignitas ea excelſa Regum noſtrorum eſt, ſubditis
Libere loquentibus.
Infame mancipijs imperare.

Arca-

Arcanum præterea conſeruandi Statutus,
Fornicationi lapidum non abſimile, qui, niſi ſibi inuicem obſtent, concamerationem laquearis ruituram,
Aquæ niſi ventis perflentur, Veternum contrahunt.
Aſt, Decretum Fati,
Nulla humana vis, aut conſilium inuertat;
It Marchio MYSZKOWSKI Marſchal: Reg: felix pronubus,
CLEMENTE, ac ZAMOYSCIO, fatofunctis,
Ita amotis conſummandæ procationi Obicibus,
Quod nuper ſingulis diſplicebat, vniuerſi approbant.
Introducta igitur CONSTANTIA,
PAVLO V. Pon: Max: diſpenſante,
RVDOLPHO II. Imp: Rom: deſpondente;
Matre,
Fratrê MAXIMILIANO ac MARGARITA Sorore, comitantibus.
Coronatur CRACOVIÆ,
Pia f 278 Anno Ch: 1605.
PETRO TYLICKI Epiſcopo Vladislauienſi,
Nouæ Reginæ Coronatore, Sede Primitiali tùm vacante,
Pompam illam Sereniſſimorum contrahentium,
Haud ſereno oculo, cælum aſpexit:
Non modica per eos dies imbrium vi profuſa.
Abdi fortè magnum luminare maluit, nè clariore ſyderis luce, illud quoq; cum conniuentibus Regnicolis factum, approbare videretur.
Ita eſt, plerumq; cæleſtes minæ, imminentium malorum
Sunt

Sunt præſagia, ac velut præmiſſi, irati Numinis anteambulones.
Secutum dehinc Ciuile Bellum, Pia f. 28
Ex interna ſtatuum diffidentia, acris animorum Colliſio;
Lethale Rerumpublicarum venenum, & peſtis immedicabilis.
O quot hic fluctus abſorbſit Reges, & greges!
Quot hæc contagio infecit membra, & capita!
Quot arſere his ignibus, cum Regijs Vrbes!
Vniuerſi Orbis cunabula documento ſunt,
Beatas Vrbes Vrbiumq; Præſides,
Quos reciprocus Amor, ac mutua confidentia conglutinat.
Cælum tamen paulo poſt,
Non omninò ſe ab eo coniugio auerſum oſtendit,
Crebris puerperijs fæcundatâ Matre;
IOANNE CASIMIRO, IOANNE ALBERTO, Pia f. 311 2 f. 336
CAROLO FERDINANDO, ALEXANDRO, 3 f. 340 4 f. 343
ac CATHARINA Neoburg: Principi nuptui datâ: 5 f. 400
In ſpem boni publici genitis.
Verùm ſua quandoq; fæcunditas arboribus nocet,
Etiam tum ſolicitâ Matre;
Nè ſplendidis prolis ſuæ natalibus, Fortuna oneroſa foret,
Proinde Præſulatus alijs, ac ſacræ Purpuræ dignitatem,
Alijs, Empticio titulo, ditiones comparat.
Magnam murmurantium querelis anſam,
Paſtoritia Peda infantibus tradi, & coemptis poſſeſſionibus, eneruandæ libertati firmari potentiam clamitantibus.
 Sed

Pia f. 438 Sed in his procellis sibi Constans
CONSTANTIA,
Re, vt nomine, egit constantissimè;
Adeptam Zywecii possessionem, vt quisq; ex Equestribus
Constit. A. 1624. Vellet, reposito prætio concedens, reemendam.
In hac namq; suspicacitatis Palæstra,
Qui contra nititur, nihil agit.
Agendum porrò velut cum Ariete, cui dura cedunt mollibus retunditur.
Tandem constante vitæ tenore, sopitis aliquantum Quiritium Quiritibus,
Ex asse Austriacæ pietatis hæres,
Ad amussim Reginalis Maiestatis exemplar,
Ad regulam Coniugalis amoris Idæa,
Pia f. 502 Obijt Varsauiæ: die X. Iulij, A. Ch: 1631.
Contractâ morbi causâ,
Dùm in sacris Orgijs, circumlatum Christi Dei-Hominis Corpus, sequaci gressu concomitans,
Aestiuis adusta caloribus, Febri periodica inarsit.
Quicunq; mortem in lucro ponis, sic moriare.
Ad occasum inclytæ Principis,
Vniuersa Poloniarum Regio & Regia simùl contremuit,
Nam corruente fulcro, quis non ruinam domûs metuat,
Factum sanè, vt nulla calamitas sola fuerit.
SIGISMVNDO REGE MARITO,
Qua cum coniunctissimè vixerat, eidem mox cõmoriẽte,
Nouissima Vtrorumq; Constantia,

Vt

Vt eodem elati pheretro, vna die Iustis persolutis,
Simùl Regio inferentur Sepulchro,
Anno Ch: 1633. Pia f. 546
Scito Viator,
Iunctum expertæ probitati Amorem Auaros sui mortales,
Etiam in morte facere.
* * * * * * * *
EIDEM,
Parcite tantisper querelis contentiosi Quirites,
Et accensas protegendæ Libertatis Zelo mentes,
Componite!
Reginæ Vestræ CONSTANTIÆ,
Genio, manibus, vmbræ,
Pijssimis:
Aggestâ tellure, æuiternum tumuli honorem, daturi.
Si tamèn mori CONSTANTIA,
Aut virtus tumulari queat:
Eius mors anteactæ vitæ Diaphanum fuit,
Extinctâ verò cum Corpore inuidiâ, maior amissi boni æstimatio esse debet.
Hæc,
Archiducum Austriæ pientissimus sanguis,
Longa serie Cæsarum, SOROR, FILIASTRA,
NEPOS, PRONEPOS, ABNEPOS, TRINEPOS,

T3 Regis

Regis Poloniæ ac Sueciæ Coniunx,
Regum ac Principum multorum MATER,
Obijt Christianè,
Fatis iubentibus, Bonis dolentibus,
Aduersarijs nolentibus.
Ach! quàm exili cippo congeries magnarum virtutum tegitur!
Complica vela, teipsam exedens Inuidia,
Ac tu mordax Liuor,
Immeritas VIVÆ offensas, vectigalibus proluens lachrymis,
Fatere necessum:
Opportunissimã libertati Polonæ, Austriacã pietatem.
Hunc itaq; tumulum,
Aggesto cespite prominentem,
Per annorum curricula, intuentibus reminisci decet;
Plerumq; optimos, sermonibus vulgi vapulare.

* * * * * * * * *

Sarmatarum Monumenta,
Eam loculo inscriptam continent Memoriam.

D. O. M.

CONSTANTIA,
FERDINANDI Primi Imperatoris Optimi Neptis,
CAROLI Archiduc: Austr: & MARIÆ Duc: Boiorũ Filia,

Filia,
FERDINANDI II. Cæsaris semper Augusti Soror,
Serenissimi ac Potentissimi Poloniæ ac Sueciæ Regis
SIGISMVNDI Tertij
Coniunx,
Mortalitatis suæ exuuias, ad DEI supremi Iudicis Aduentum, hîc deposuit.
IOANNEM CASIMIRVM, IOANNEM ALBERTVM, CAROLVM, FERDINANDVM, ALEXANDRVM, CAROLVM, ANNAM CATHARINAM,
Lectissimos terris Principes, fæcunda boni publici Mater, reliquit.
Cælo autem fæcunditatis suæ partem, Filium, & Filiam consecrauit.
Multis illa decora, quâ prosapiæ, quâ generis, quâ affinitatis nominibus.
Sed eminentissima ob incredibilem, erga Diuos Superosq; obseruantiam,
Inopino mortis Casu,
Regina Regnum,
Coniunx Regem,
Mater Principes,
Totam Christianitatem, pijssima Princeps in mærorem

rem traxit, VARSAVIÆ
Anno reparatæ Salutis, MDCXXXI.
Ætatis XLIV. Coniugij XXVI.

CÆCILIA RENATA
Vladislai IV. Regis Poloniæ: Vxor I.

❁ ❁ ❁

Ætate paceq; florens Palmarie Iuuenis
VLADISLAE,
Si Deo, Patriæ, ac Posteritati
acceptam,
Thalami Regij te sponsa digna, vis implere Coloniam;
Deum, Ecclesiam, Regnumq;,
Consule;
Ac temetipsum,
Cui Parente, etiam cum Patrij Regni iactura, Catholico
Matre pientissimâ, quia Austriacâ Nato,
Par natalibus consortium sortiendum est.
Pia.f.57. Frustraneus in ducenda FRIDERICI Filia labor,
Solium

Solium Sarmaticum,
Nusquam patitur insessorem Hæresim,
Coniungi disiunctæ ab Ecclesia, idem planè
quod in æstuario dormire.
Malè illi cum coniuge conuenit, quæ Deo discors est.
Cauent vnicè pastores, ne diuersi Ouilis greges, misceantur.
aliter,
Grex totus in agris.
Vnius scabiè cadit, & prurigine porci,
Vuaq;, contacta, liuorem ducit ab vua. Iuuen
Etiam indebita hæc Rhenanæ domui felicitas,
Polonum Diadema
Quæ ab ouili Christi, & Patria domo Exul,
In Catholico Regno, diuersi dogmatis, Materfamilias
Malè hospitaretur.

Noua Polonis RIXA,

Rixosam diuersæ Religionis dotem illatura;
Dij meliùs Poloniæ:
Quàm vt virulentissima insecta hæc, sub patrocinio
Maiestatis, securiùs vermiculentur.
Neq; inclyta Virguncula NIVERNENSIS DVX,
Hæc hora tua est,
Austriacus nunc, post tuus VLADISLAVS erit,
Desponsata CÆCILIA RENATA, Pia.f.92
FERDINANDI II. ac FERDINANDI III. Imp: Rom:
FILIA, ac SORORE:
In quâ,
Resonuit ad numeros, Cæciliana virtutum Harmonia,
V Summa

Summa Pietas,
Egregia Fides,
Modeſtia Incomparabilis.
Præter reliquam, excellentiſsimarum qualitatum
Enciclopædiam,
Nam natura maiora magnis attribuit.
Vt ſpatioſam arborem firmioribus, inniti radicibus neceſſum.
In cæteris mortalibus analecta virtutum,
In Principibus perſonis ſummatim requiruntur.
Huic,
Cæſarum è domo conducendæ,
Tria illa nota Orbi nomina ablegantur;
LIPSKIVS, OSSOLINSKIVS, DENHOFFIVSQ;
Primus, Diuinarum rerum ſcientia clarus,
Alter, Tulliana facundia Orbi æſtimatus,
Tertius, feſtiua morum elegantia cõſpicuus.
His itaq; prodromis,
Venit laureatis è penatibus CÆCILIA re ipſa Laureata;
Mariti intrans Limina,
In veſtibulo Regiæ pendulis.
Ottomanicis, Moſchouiticis, Sueticis, Tartaricis,
Trophæis, & adoreis,
Summo itaq; Sarmaticæ gentis applauſu, & gaudio,
Coro-

Coronatur Varſauiæ; A. Ch: 1637: Pia.f.591
Operante IOANNE WEZYK, Regni Primate,
Diſtulit poſthac Fortunâ ſperatæ prolis ſucceſſum,
Aduſq; metum ſterilitatis,
Magnam expectationem, nunc mæroris, nunc lætitiæ,
Ventis agitans;
Quò firmitudinis radice inſiſteret, ea, expertura,
Donec reſpondente ſpei, populorum Cælo
Grauidata Regina, ſe Matrem
Edito partu, Maritum Patrem faceret.
SIGISMVNDVM CASIMIRVM Principem enixa, Pia.f.611
Credidit Polonia,
Editum die Palmarum fœtum, Palmarium munus,
ſibi à Cœlo datum;
Et longiſsimæ expectationis tædium diuturnitate
vſus penſari potuiſſe:
Niſi magnæ ſpes nuper dilatæ, iam ſublatæ, forent;
Meſſe ea in herba immaturè oppreſſa.
Ille tamen Matris ſuæ præuentus Fato,
Quæ viuida Annis, Animo, Corporeq; vigens,
Florentiſſimi Æui Princeps,
Velut intempeſtiuè demeſſus flos, ante diem obijt,
VILNÆ Lithuanorum Metropoli:
ANNO Ch: 1644. Pia.f.611
Primo Vere, verè Polonis dolendo, Aprili Menſe
Sepulchri Regum infauſto Nomine Apertili,
Ac, vt plerumq; nemo ſine cauſa moritur, venatio incuſata;
Quæ,
Conſternato irruentis Apri ferocia, Equo eoq; violento motu,
Quaſſata Regina, abortum ſimul, & mortem cauſante,
 Vſq;

Usq; adeo formidolosus venator, mors est:
Pro Fera, Reginam capit.
Dolorem pro præda subiectis populis diuisura,
Indoluit tota Polonia,
Eo vel maximè Nomine,
Dùm ordinarijs Regiæ opibus contenta, CÆCILIA acerbitatem,
Tributorum pro Populo deprecaretur;
Amor ac deliciæ Poloniæ habita fuit.
Quis enim amat Geryonacæis manibus illas, deglubentes Pecus non tondentes?
Eodem itaq; quo mortua Anno, sepulta Cracouiæ
Summo S. P. Q. P. concursu:
Sic eunt humana.

* * * * * * * * * *

ALIVD EIDEM,
Austriaca, Austriacæ succedit in Thalamo,
CONSTANTIÆ CÆCILIA,
Nepos simul ac nurus,
Ex eodem experti saporis stipite, dulce Pomum
Disce quisq; coniugio, statum suum stabilire intendis,
Non inter ignotos quærere Coniugia,
Non quatenus compta, aut externe splendescit mulier,
Sed ex generis qualitate, aut morum, introspicienda.
VLADISLAO REGI maritando,
Palatinum à Rheno, Niuernense in Gallia,
Proposita Matrimonia;
Verum,

Illinc

Illinc diuersa Religione, Hinc nondum annis nubilibus,
In Austriacam tandem affinitatem, conuersa studia
Disce partem prudentiæ esse, non in frontem semper negotia aggredi: efficatiori ex obliquo assultu.
Non negatur Sponso, pacta Sponsa,
Sed pacta Sponsalia irrita diu à filio, quæ Parens Spoponderat; *Piasec.*
Donec VLADISLAVS, moras omnes abrumpens,
Vxorem doti præhabuisset.
Turpis ille æruscatorum quæstus est, Matrimonijs æra venari.
Amicitia omni metallo præstat.
Post hæc,
Concordissimæ vixere Animæ: imò vnus in binis Corporibus Animus,
Perturbauit nonnihil, Serior Matris fæcunditas;
Verùm post optatissimo fætu, tumente vtero,
Magni simul & abbreuiati gaudij, materiem dedit:
SIGISMVNDO CASIMIRO genito,
mox extincto.
Disce Lector, Spes, & res humanas esse, ac si Folia:
Quæ subito vento rapiuntur;
Prior tamen CÆCILIA mater obijt,
Nata Imperatoriè,
Renata Christianè,
Denata Humanitus,
Inter hæc Busta Regum; in Principe Regni Basilica,

Magnum Venturi Iudicis Diem,
Expectat.
Ita spes nostræ, laborioso gradu sursum ascendunt;
Mox præcipiti casu à Fortunâ protrudendæ.
* * * * * * * * * *
In monumentis Sarmatarũ, eam laminæ incisam
tulit Epigraphen.
D. O. M.
Tu, qui Augustæ Reginæ,
Sacram Vrnam aspicis,
Venerare tredecim Imperatorũ AVSTRIA DOMO prognatorũ
Diuum Sanguinem:
CÆCILIAM RENATAM,
VLADISLAI QVARTI
POLONIæ, & SVECIæ REGIS gloriosissimi, Sceptri Toriq;
Consortem,
Paternæ FERDINANDI II. Augusti Pietatis, & omniũ virtutũ
Ex Asse Hæredem;
Cui,
Dùm Orbis immortalitatem præcatur, cælum mortis
Via ereptam, sibi vendicat gloriosam.
Exuuias hic capit tumulus, post humi Amoris,
& Regiæ mæstissimi coniugis magnificentiæ
MONVMENTVM.
Sic decuit Imperatorum Sanguinem,

Sic

Sic cæli Triumphantis pignus,
Nata Græcij: Anno Ch:
MDCXI. Die 6 Iulij.
CORONATA REGINA POLONIÆ, Varsauiæ;
MDCXXXVII. XIII. Septembris,
Moritur VILNÆ,
MDCXLIV.

MARIA LVDOVICA
Vladislai IV. Regis Polon: Vxor II.

* * *

Viator,
Siste gradum, Aduerte oculos,
Mentem intende;
POLONIA vult, GALLIA poscit,
ORBIS CHRISTIANVS expostulat;
Hoc est illud celebre Germen,
ITALICÆ ORIGINIS, GALLICI GENERIS
GONZAGÆI NOMINIS.

LV-

I VDOVICA MARIA;
In nostro Septentrione transplantandum:
VLADISLAO IV. dudum ambita, nunc tradita.
Curâ ante AVSTRIACAM prior,
Vinculo posterior:
Vt diutiùs in Throno hæreret, seriùs assumitur.
Grammond: Pia. f. 604 CAROLI illa NIVERNIÆ,
Mox Mantuæ, ac Montisferrati,
Tùm CATHARINÆ Lotaringæ Mayenny Ducum,
Filia:
Maioribus ex fama Orbi notis vtrisq;,
Patre, ex instituto militari aduersum Ottomannos,
Ordine,
Matre, ex protectrice Orthodoxæ religionis Domo
Genita.
Athletæ Christianitatis, Fidei Vindici,
Turcarum terrori,
Merito iungi debuit, VLADISLAO.
Et GONZAGARVM quidem ad prodigium laudata fortitudo,
MAYENNIORVM innata animositas semper illustris,
Participantibus de eadem virtute Fæminis,
Vt inaudito Exemplo:
Gra. f Mater LVDOVICÆ AMAZON GALLIÆ Vocitaretur,
Hac domo, VIRGO STVDIIS NATV Virilibus,
Debita suo Marti Bellona, sacro fædere coniūgitur;

LVDOVICO XIII. REGE Galliarum autorante:
ANNA REGINA REGENTE procurrante:
CARDINALI MAZZARINO iura connubij sanciente:
PRINCIPIBVS SANGVINIS ac PARIBVS FRANCIæ assistentibus.
LEGATI POLONIÆ,
VENCESLAVS LESZCZYNSKI Episc: Varmiensis,
CHRISTOPHORVS OPALINSKI Palat: Poznaniensis,
Personam Autoris sui sustinentes;
Paradiso illo terestri, aut veriùs suburbio Cæli,
LVTETIâ PARISIORVM abiere.
Ingenti Gallicanæ pubis cordolio, absolutissimæ venustatis eripi Regno illi Idæam,
Vota omnium, & gaudia felicium,
Non abituram delicatissima orbis plaga, nisi regnandi Causa:
Planè Venerem Cypro sua exulatum ire crederes.
Ipsa Maria,
Acsi MARIA Septemtrioni, non danda, aut inuidenda esset.
Secundam Nauigationem impediuere
Quassata fluctibus classe, & præsentissimo naufragio,
Nisi Maripotens ventorum præses,
Onustam Polonorum, Gallorumq; Spebus onerariam,
Optato in portu incolumem stiterit.
Proinde,
A lætantibus Argonautis occupata statione,
Festiuum celeusma occinentibus Sarmatiæ Populis,
Fluctus, ac procellas eluctata Nauis,
Consecratur: ex voto Equoreæ fortunæ.

Cui nomen è MARIA
Patronæ, Adiutrici, ac Sospitatrici
Quæ cognominé sibi nomine ac titulo,
(Etsi augustissimum Nomen vsurpantibus graue anathema in Polonia,
Venerantium submissè Populorum consensus facit)
MARIAM LVDOVICAM Reginam,
Tutissimo in portu Metropolis Regni
CRACOVIÆ
Locaret, Coronandam Anno Ch: *1646.*
Pia.f.605 Per MATHIAM LVBINSKI Archipræs: Gnezn:
Itaq;,
Polonia bonis pacis opulenta, Regia Trophæis plena,
Incomparabili rerum successu fluentibus votis,
Pia.f.606 Dùm
SIGISMVNDVM CASIMIRVM Principem,
Non nouercalib⁹ odijs, sed materno affectu fouet alitq;
Grandi tranquillitatis Sarmatiæ turbamento, amittit.
Post, vt *nihil est in humanis stabile*,
Ac *felicitas omnis, planè semper cum Chamaleonte Colorem mutat*;
In medio gloriæ, ac ætatis Cursu extinctus REX,
Acerbæ viduitati Orbam Coniugem relinquit.
Cui,

Cui,
Modo Valedicta GALLIA, vix Salutata POLONIA,
Hinc abire minùs integrum, Illuc redire incongruum;
Inter præsentium, & imminentium anxias Curas,
Supræmis funeris, effert VLADISLAVM maritum.
Anno Ch: *1648.* *Pia. f.60*
Hic impleuit mensuram Polona felicitas, nixa
VLADISLAO,
Ac subducto eo, vniuersa corruit, velut fulcro submoto.
Considera Lector,
Felicitatis finis, & calamitatis exordium Vni personæ, an iustè imputari possit?

MARIA LVDOVICA, Iterum
Ioannis Casimiri Regis Polon: Vxor,
* * *
Magne Arcis Arcium Oeconome,
Cui cura publicæ Ædilitatis incumbit,
Huc Lapicidas
Quotquot seu profundas Chencinensis montis Cryptas,

 Seu

Seu Paczułtouienſis Teſquæ euiſcerant latumias,
Non Caria Mauſolo Mauſoleum;
Sed,
MARIÆ LVDOVICÆ,
Pol: Pon:
Illud verò Hermæi in Attici quadratam formam,
Aut in modum Cubi,
Qui iactus ſemper iacet, & motus loco, locatur.
Eo modo rationem & veritatem ſibi conſtare debere,
Quæ frequenter commota: ſemper immobilis.
Per cuius Sena latera, publicis
inciſa notis, legantur:
Hæc eſt illa ingens animi Virago,
Artemiſia Polona, Zēobia Sarmatica,
Vel quia omne antiquatum pro Magnifico eſt;
Bellona, Minerua, Venus
Europæa:
Muliebri ſpecie, virili pectore, Angelico Cōſilio;
In conferendis ei ſubiecto dotibus, (tuna.
Prodiga virtute, Excedēte Natura, Delaſſata For-
Iſtius ingentis Spiritus,
Non argillino, ſed Oſſe operi infuſi,
(Nàm

(Nàm & *machinæ ſuis ipſæ fulminibus diſrumperentur,*
Niſi è ſpiſsiori metallo conſtent.)
Prima fuere molimina,
Poſt ereptum fatis Maritum, retinendo Diademati,
Ac perpetuandæ potentiæ,
Aut Polonia namq;, aut Regia excendendum erat,
Aut Leuiro nubendum;
Primum graue, illud miſerandum, hocce incompatibile.
Quo in negotio,
Iit animoſa Herois pertentato Maribus Vado,
Nàm, ſi duas germanas vni viro cōiungere licuit?
Eccur vna binis fratribus coniungi vetaretur?
Magno ſuſceptum conſilium auſu,
Maiori tractatum labore,
Maximâ conſummatum dexteritate;
Murmurantibus pleriſq;, tolerantibus cunctis:
Diſpenſante INNOCENTIO X Pon: Rom:
Itaq;, impracticato Exemplo.
Et fratria fit vxor, ex Regina Vidua,
Regina regnans:
Boni publici prætextu? an inclinatione Regis?
Authoritatem Senatus ac conſenſum Populi
Extorquente.
Quid enim *non peruincit mulier, præſtigioſo ſermone blanda?*
Licita? iuxta & illicita?

 Pro-

Prout conducat facundos habent interpretes,
Etsi acre Elementum ignis,
Ominoso incendio GALLIPEDEM incestans, cælestis iræ
internuntius, vulgò crederetur.
Inundata mox Polonia belli calamitatibus, vt igne ædes,
Vniuersali velut diluuio superfusis Armis;
Etenim,
Latrocinantes SCYTHÆ, rebelles COSACI, mutabilis DACIA,
Inuasores SVECI, fædifragi MOSCHI, perfidi HVNGARI,
Et quod vspiam in vicino quadra finitimorum
Coniurato odio, incessunt Poloniam.
Væ grandis vni Regno procella! innocenti iniqua!
Florenti miserabilis!
Nisi in experimentum data Diuinitus, an qui nuper
bonis pacis nimij: ijdem illi tolerandis Belli.
malis, pares Poloni?
Nàm *ordinaria hæc fati reuolutio est, vt pax bello,*
Bellum paci succedat.
Quos inter LVDOVICA turbines,
Non modo consilijs se immiscuit, sed præfuit:
Imò si veritati locus, desperati naufragij tabulas,
recolegit:
Maximè SVECORVM fortuna armisq; præualetibus.
Magna etenim virtus magnis periculis collidi debuit,
Nàm *concussa æra clariùs tinniunt, & fulgorem*
accensæ facis tenebræ probant.
Illa dolenda Poloniæ Antiperistasi,
Conspicienda Exul, limitibus Patrijs dum excederet;
abiturientis oculis, exciderunt lachrymæ;
Non

Non imbelles, sed minaces:
Et Heroico ardore, non muliebri affectu prouocatæ.
Caput Vrbium CRACOVIA, Regum domicilium VARSAVIA,
Referant!
Quas si munimentis tueri non daretur, at saltem
prehenso pessulo, se non deserendas ingeminabat.
Post, non à quæstibus, aut planctu,
Ab erecto animo remedium malis mutuauit:
Sciens non votis muliebribus, auxilia Deorum
parari:
Hoc enim more Mars est, vt consilia ferro,
Ferrum consilijs, excutiat.
Errabundam igitur SENATVS turbam,
(Miseris illis quo vitam seruarent, fumum Ithacæ suæ
è longinquo aspicientibus,)
Hac, illac, per anfractus Silesiæ degentem,
Patriæ, vt Ciues, & Patriam, Ciuibus reddat, conuocans;
Irent, vt popularium animis, & armis concitandis, hortatur.
Vbi Populus, pro Focis, DEVM, pro Aris,
Pugnaturum;
Hostes,
Si non alia re, certè suffragante ipsa scelerum multitudine,
vinci posse ostendens,
Nec hortamentis solùm, etiam exemplo præiuit:
Galli in modum, qui cantu alios, se ipsum alarum
motu excitat.
Redit LVDOVICA, respirat POLONIA,
Ad cuius regressum Fortuna Sueram reuoluente,
Suecorum ac Transiluani progressus, qui in summo
erant

erant, in infirmo locantur:
Reuolui namq; *solet Fortunæ orbis, plerumq; tamen Manu consilij rotandus.*
Obiurgat ignauā ferri sui aciem IVVENTVS POLONA,
Signaq; illa nullo in aduersos hostes ausu fluitantia,
Increpat:
Acris namq; in gloriam stimulus increpita virtus,
Pugnant, & resistunt;
Auspicio Regi gerendæ:
A Parthenio IMMACVLATISSIMÆ VIRGINIS monte
CZĘSTOCHOVIENSI,
Nè quid Statori Ioui debeam9, hæc Taumaturga
MATER, fecit;
Ac quò clarior victoriarum cursus esset,
In Monomach: Maius luminare mundi triplicatur:
Plusquàm mortalium manuum opera aspecturum.
Prodidere tùm Hostes imbellem fortitudinem,
totiès nullo repugnante iactatam;
Dum
Pacem quærunt, quam ruperant;
Amicitiam requirūt, quā violarāt;
Abitum vrgent, veriùs missionem.
Vulgari verificata paræmia, *à Capto Scytha se Detineri*;
Illos

Illos quoq; à victa Polonia Triumphatos.
Corycæis itaq; submissis, consilia Pacis explorant;
SZLIPENBACHIO SVECO, illecebras paciscēdi ingerēte;
COMITE PETINGIO IMP: ROM: arbitriū rerū Offerēte;
LVMBRESIO GALLO, mediationem insinuante;
Aquilonari Leone, intra Balticum specum, non nisi ad huius Galli Cantum refugo.
OLIVA itaq;,
Nunquam non Amicum Paci nomen,
Lucidissima Septentrionalium Regionum Pharus fuit;
Duraturæ Amicitiæ circumsitis ad Oceanum gentibus,
Lumen ostendens:
Transactæ Pacis lauru omnimodè debita,
LVDOVICÆ Reginæ,
Si non Autori eius, ast industriæ còóperatrici.
At, tanta eius Fortunæ prosperitas erat,
Vt supra vota esset;
Tanta aduersitas, vt vltra modum extenderetur;
Sublato foris hoste, Domi inuentus est:
Cum libertate pugnare.
Quàm tamen fouisse visa, duplicis Prolis Mater,
(Filio Filiaq; genitis, simul extinctis)
Odisse, postquam Orba:
Equè infelix, dùm ex se Reges parere nequit;
Atq;, dùm per se illos parare studet,
Enorme Polonæ libertati offendiculum, viuo Rege

 Suc-

Succeßorem destinare.

O qui fluctus, ex hoc Æolico vtre proruperunt!

Ciuili Bello cõmißis partibus!

Alijs sub Principis Nomine, libertatis obtentu; alijs,
In diuersas acies concedentibus!

Fato, velut de industria destinatum sibi Caput, in occulto tenente.

Tandem prægnans molitio abortum fecit

I E H O V A,

O Principes!

Intronizandorum Monarcharum prærogatiuam
Sibi Vendicat!

Verùm irata IVNO,

Quo se Tonantis consortem testaretur,
Miserando innocentis astropoplecti casu,
Monstrauit:

Non temerè iram DEVM prouocandam.

Et Aulico cum gratia Principum, acsi cum igne agendum: si remotus agis, algebis; si cominùs adstas adureris;

Veteris Aulæ Exemplo,

In qua LABEO *præibat*, CAPITO *præhabebatur.*

Ea etiam LVDOVICÆ Sors fuit,

Vt calamitates sibi affingerentur, prospera
alij sibi vendicarent;
Populus enim in vtraq; Fortuna immodicus:
Breui Epitome gesta eius connotans,
Primam LVDOVICAM, Secundam MARIAM,
Tertiam RIXAM, scripsit.

Quod generali Prouinciarum excidio, Polonia in bustum redacta;
Quod Aurum nostrum, versum est in scoriam;
Argentum, damnabili paracharagmate adulteratum;
Ænopolij, Cornuariæ, Capitum census, aliaq; prædandi vocabula inducta.

Præter venalẽ panis benemeritorũ distributionẽ,
Ac Aulæ motiuo confæderati Exercitus turbas,
Nouercali magis, quam materno titulo,
Improperia dixit:
Incisas quin etiam nummis, Alphabeticas notas,
In sensum mali publici detorta interpretatione;

Incipere Calamitatẽ Regni, vulgãns.

Cum tamen non tùm incipi, iam inchoata, sed consummari: neq; initium huius illi, cooperatio

Vtiq; adſcribi potuit.
Ita ſemel inuiſos Principes, ſeu benè, ſeu malè facta premunt;
Et odia publica, in eminentiora, deſtinato ictu collimant.
Refluxus hic odiorum, ex indebita vſurpatione Dominationis;
O Propudium Viris!
Etiam in priuata Domo, vbi colus & fuſus inter faſces ſunt!
Quid ſi in Regia Gynæcratica ſtatus forma præualet?
Eſt tamen quod poſthuma gratitudine rependat
LVDOVICÆ POLONIA;
Fotum in Regia Contubernalem Regnaturum,
Ab hac Tanaquile Tulliũ noſtrũ,
Iam peritam eam, iam ignaram Etruſcæ artis,
Quis non dicat?
Dùm peregrè quærit, quem Regno ſufficiat;
Et præſto habet, fouetq; qui regnaturus ſit:
Vſq; adeò, oneroſa ſarcina Curioſitas,
Imò Atheiſmo affine Cæleſtia ſcrutari.
Eheu magna ingenia raro vnũ vitæ tenorẽ tenent!
Vt *Perſica poma,* quæ *vbi maturuerint putreſcunt*
Exor-

Exorbitantiæ Cauſâ,
Natalis ſoli, populiq; Amor,
Quos illa ad periculum famæ amauit;
Poloni, vſq; ad nomen odere.
Omni vita itaq; inter felicitatis raræ; aut Calamitatis ſummæ, Actus tranſacta,
Quô ærumnis exercita Virtus, ſonantius audiret;
Mortem nec timuit, nec fugit:
Imò imperterrito pectore, animoſa accepit,
Iis vltimis moriturae verbis, ERGO MORIENDVM.
In terrifico Actu mira conſtantia,
Illud igitur tribulationis cribro ſubactum triticum,
Æternitatis Horreo infertur:
Anno Ch: *1667.*
Sepulta eodem Anno, CRACOVIÆ,
Dùm homines nolunt, plorante Cælo,
Mellifluo perorante WYDZGA Ep: Varm:,
Et diſſipatæ ſunt omnes cogitationes eius.
Huic itaq;
Virtus Nomen, Inuidia Famam,
Polonia Lapidem.
P. P.
* * * * * * * * * *
Huic ADRIANVS PIKARSKI Soc: IESV,

 Eccl:

Ecclesiastes Regius,
Eo publici Iuris facto parentauit Elogio.
D. O. M.
Immortali Posterorum Memoriæ;
Sacræ Bonarum Mentium Admirationi;
Tetrico Maleuolrũ stupori;
Innocenti sidere in lucem edita est
Suis à Cineribus semper Phœnix
LVDOVICA MARIA GONZAGA,
Mantuæ Monsferr: Rhetelorũ Niuernensium Dux,
Christianissimæ Gentis Nata,
FILIA LILIORVM,
Burgundiæ, Siciliæ, Reginarum Neptis,
Auita Palæologorum Heres,
Inuictissimorum POLONIÆ & SVECIÆ Monarcharum
VLADISLAI IV. IOANNIS CASIMIRI
Pientissima DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Coniunx,
REGINA SCEPTRIPOTENS:
Quam Orbis Imperio parem
FRANCIA dedit, SARMATIA habuit, EVROPA suspexit.
Mulier vltra Fæminam,

Animi

Animi, Corporisq; Basilicè pulchra;
Et in moderandis Alternorum vicibus,
PVLCHERIA.
Nisi odiosas Eclipses
Tanto Luminari Turpilij obiecissent.
Eadem dubiis Rebus PALLAS & BELLONA,
Pacis Belliq; Arbitra
Quâ publicè quâ priuatim nunquã eguit Maiestatis.
Recens à Gallijs,
Simul ac Pacifici Torum auspicata,
In sacra Bella immodicam Dotem litauit.
Secundas, quò secundiùs propagaret Nuptias,
Barbarorum incursu, Rebellium fragore,
Thronorum Exilio, Militaris Licentiæ Nexu, Ciuili Motu
impacatas,
Intimos Reconditorum Lares,
Industriarum suppetiarum Reditus;
Atauorumq; Gazas à fundo profudit,
Opum atq; auri de proprio penu
Publicæ salutis Censu
Euerriatrix memoranda.

In-

Ingens illi Consilij Vis,
Arcanæ Prudentiæ Robur ingens,
Prævalidi Omnipotentis Pragmatiæ nutus,
Quêis fedifraga vtriusq; Aquilonis Arma,
Seu trans æquora vertit, seu domi cōposuit
Prostratæ Lechiæ Gloriam, pænè Cadauer Nominis
Vasti Animi spiraculo investigia veteris æui suscitauit.
Tot inter Turbines fastidita
Iamq; nutantia Marito REGI sceptra
Atlantico arrexit Nisu.
Ecquando non risit immanes Regnandi Fluctus
Medio procellarum immota Rupes?
Non habuisset LVDOVICAM Polonia?
Habuit hodiæ Poloniam Hostis.
Non regnasset pereunti? Perierat.
Quantâ sui Nominis Inuidiâ
PATRIÆ MATER
Felicissimam apparabat Rempublicam?
Cui spirauit, cui REGES Genuit,
Ast tantæ Spæi Germina
Fatum Infans in herba præcidit.
Non Regnantium Vlla exãbiuit sanctiùs prodesse Populis
Non

Non popularibus Odijs innocentiùs obiecta est;
Aut quæ vnquam in Ambiguos Ciues
Sine tædio, sine solatio, infracti amoris retinacior?
CERTE
A ferocia Temporũ, ab Infidorum tristibus Insidijs
Nulla Serenior.
Quâ ũde suppetebat, Bono publico Pectora propinauit.
Suo CONSTANTIADÆ
Inuictæ Constantiæ Suada.
Crederetis Posteri?
Quâ memoriâ velut è Tabulis Ordines ac Militiam
De Ceris, de Proauis, à studijs, proq; Meritis,
Percolebat viritim percallebatq;!
Iö quantum in Saga & Togas largitionibus prodegit!
Prona in omnes, ne Beneficijs immineret nulli:
In Rores & Pruinas passim Lilio pando,
Probè improbeq; Merentibus dexterrima.
Quæ sed Accepti bruta Ingratitudo!
Tot Beneficij Reos, tot impensæ Gratiæ Apostatas
Insons numerauit.
Viuere tamen priùs desijt, quàm largiri.
A T, O!

 Reli-

Religionis illi & Pietatis Cura quota!
Intelligendi ſuper egeno & paupere quale Ingenium!
Diem putas? puta ſeculum amiſiſſe viſa ſibi
Si quando intermitteret Miſerendi Officia.
Par ILLI ardor, par pretium fuit
Pauperum Tabernas, REGVMQ; adornare Turres.
Quot Collegia Miſerorum
Alimoniâ, Veſtiario, Nummariâ, proluuione,
Latifundijs, Prædijs, Prædiſq; Reginali Superfluo detractis,
AVXIT, DOTAVIT, EREXIT?
Quot proiectæ ſortis Impuberes,
Platearum ſidera errantia,
E triuiali Luto,
In Ephebium manuariæ diſciplinæ coëgit?
Quot è Fimoſtratis,
Nudis ignibus ſcintillantes Puellas,
Netrices æternæ ſtolæ,
In Palæſtram argumentoſi fili comportauit?
Et quò de Climate frigido Morbum Inertiæ propulſaret,
Domicilia morbidorum, Seminarijs inſtituit Artium.
Non vſpiam pari loco tam luculentus Nitor,
Tam inſtructa Annonæ copia.
Quid

Quid memorem
Diuini cultûs Machinas & Impendia?
SOCIETATEM IESV
In Perſide ac Byzantij aluit:
E cuius brachijs finitima Æternitati pependit.
Catechiſticæ Miſſionis Presbyteros, modeſtiſſimi Exẽplaria Cleri,
Lutetiâ Varſauiæ Coloniam fixit
Prima in Septẽtrionẽ, Virgineũ Agmẽ S. FRANCISCI de Sales
Tenerrimos Flores, & ipſa Gentilitia Flora,
Ab immarceſcibili Sequanæ Ripa,
Secus decurſus aquarum Vandæ Virginis,
Ne folium Sertis Immortalibus deflueret,
REGALIBVS HORTIS COMPLANTAVIT.
Sic Palatium Clauſtro, ſic Reginal Virginali,
Sic Integritatis Caſtrum, Aulæ Corruptionis Theatro,
Innocuis vtrimq; parietibus,
Sic è Vanitatis Ambitu & Contemptu
Miram Antiperiſtaſim conglobauit.
Iſthîc exaggeratum illud COR,
Suiq; profundi immenſum,
Globi Terraquei Capax
TVMVLAVIT,
Præſepultis in Corde, ſuæ Fundationis Inquilinis.
QVID PLVRA?

In-

Inclinatâ valetudine iam fatiſcens,
Iam vicina deciduæ,
E conſpectu Æternorum
Animum Lucubrare ſolertiùs,
Conſcientiæ Commentarios recitare in aures Pœnitentiarij
Quotidie dimidio anni;
Fatorum irruptioni quotmomentis præmori:
Ter Optimam THEOTOCON, Diuoſq; Tutelares,
De ſupremæ horæ præſidio inſtanter paciſci:
Beatum Marchionem ALOYSIVM, Sanguinem Suũ
Cognata deuotione præſtò aduincire:
Atq; ad grandis viæ Reſiduũ
Angelorum Pane conſuetiùs veſci:
TANDEM
Adeò non Corpuſculi languore, vt Ingenij Mole
Mẽtis Nimia, arduos per inſomnia volutans Cogitatus,
Si fors de ſtirpe Lilieti poſt ſe Regnatores deſtinaret;
Incertum annuentibus Polonis,
Solenni Heroũm febri, intẽpeſta Difficilium Contentione
SVBLIME CONTABVIT.
Hinc poſt funera fæderaq; Infeſtorum
Semineci Superſtes Maleuolentiæ,
Conditis ritè Codicillis
In Momẽtũ, ex quo pendet Æternitas, ritu Catholico prouecta,
Cruen-

Cruenti viſceris Agone purpurato,
EMERITAM SERENITATEM
E regione vmbræ mortis emancipauit.
Vidi ego adhuc tepente Leto
Quàm placidos, tam verecundos Reginæ vultus.
Dubitare poteras extinctam?
Subriſiſſe Caduca, & geſtire ad non Peritura
Et illibatas Libare Felicitates videbatur.
ENIMVERO
Nouum Funereæ Maieſtatis Auguſtale,
IOANNIS CASIMIRI MOLEM,
Nigri ſuper Atria Vauelis
Diuæ Conſortis mortuali Throno
Caduciter initiari,
Ne mirere POLONIA.
Inuida fata pijs, & Sors ingentibus Auſis
Rara Comes,
Mortalitate LVDOVICAM deſtituit,
Poſtquam non ſuperarat nihil, vt è voto regnaret.
Infandum REGINA iubes renouare Dolorem
Sceptris iam quanta ſupinis Tecum cuncta iacent!
HOSPES

 Quod

Quod à pallida morte eximium eſt,
SERENISSIMAM VMBRAM
DIVOS INTRA IAGIELLONVM MANES
Procul adora & ſuſpice;
Longam iuxta ſæculorum cladem
Magnæ REGNATRICI conſepultam
LEGE LVGE.
Egit Mortalem luſtris vndecim.
Sceptra geſsit annos vnum de viginti.
Ærâ Salutis MDCLXVII. Kalendas Maij XVI.
VIXIT.
VIXISSET! QVID ILLA DEMVM?
COGITA:
Et Votis, vltimum quæ properant Diem,
Tempera vel Abſtine.

ELE-

ELEONORA

S[MI.] MICHAELIS Regis Polon: Vxor.

Tuis verò laudibus nihil potiùs addat POLONIA,
Quàm te laudum Poloniæ cumulum eſſe;
Quid quid Septingenti propè Soles dedere magnũ;
In te habet illa,
Quia tu illã.
Iam ſi Septenarius DEO placens numerus,
Tu AVSTRIACARVM ſeptima;
Cœli miſerentis POLONIÆ munus crederis,
Numero ſeptena, miraculo data:
Priùs ſpectata, quàm, ſperata.
Ita Numen ſolet ingerere beneficia ignaris, immò ingratis mortalibus.
Magna Parens tua AVSTRIA,
Cœlo intuitu Pietatis confœderata,
Imò eidem per genetliaci palmitis germina, æmula eſt.
Dum,

Dum,
Aut TERRA è centro suo mira eleuatione Astris admota,
Aut cœlum rara familiaritate, terris acclinatum,
In similitudinem Zodiaci, terrestre Hæmisphæriũ
efformauit.
In quo,
DEVS, SOL; COELVM, PIETAS;
Signorum Zodiaci vices, magna Imperat: Rō:
nomina implent.
Non aliter hic Diuus Duodecim-Viratus Feris assimilãdus,
Nisi quæ in Cælesti Viuario, concluduntur:
Mansuetissimæ, à loci natura animantes,
Et quas sui Solis cicurat benignitas.
Eadem è Domo, Septenæ POLONIARVM REGINÆ,
Similem Planetarum numerum, repræsentant.
Ac,
Ne quid formalis Zodiaci perfectioni deesset,
Quâ medium cœli Lactea via secat,
TÆNIA AVSTRIACA vices subit.
Olim illa natiuo candore nitens: Iam barbarico
Lips: in Epl: *Cruore in expugnatione Ptolomaidis purpurata.*
Inter itaq;,

Huius

Huius Zodiaci Characteres,
Cœlestis Familiæ Primicerius
ARIES, I.
Redeuntis veris signifer, Phryxæo vellere diues,
Cornibus metuendus;
Fæcunditatis, Diuitiarũ, Victoriarũ,
Schemma:
RVDOLPHVM I. monstrat.
Is, ex Habsburgi & Alsatiæ Comite,
Romanorũ Imperator Electus, A. Ch: *1273.* Carif. 419
DEO primum,
Quẽ sub specie PANIS, humillimè veneratus est:
Tùmdemum, SEPTEM-VIRORVM suffragijs,
Imperium debuit;
Prophetante Mysta, vt possideret;
Iam possidet æternando.
Ahæneus religionis murus, hostium terror,
Orbis Decus,
Felix, Victoriosus, Patriæ Pater,
Primus Austriacæ magnitudinis Protoplastes.
Quàm in immensum creuit Arbor, quam Diuina

 inseuit

inseuit Manus.
Ringatur Inuidia, Triumphat Pietas,
Robustus hic minaci cornuum bidente

☞ TAVRVS. *II.*

Animal tàm mansuetum, vbi Cicur;
Quàm ferox, vbi irritaueris.
ALBERTVM I. ostendit,
Irritari coccineis Tauros aiunt: Etiam hunc;
Dum in ADOLPHI Nassauia Domo, Imperatoriam
Purpuram videt:
Tantùm fortunæ suæ, dereptum putans,
Quantùm accessisset alienæ.
Eripit fortior imbelli, vir effæminato:
Car: f. 421 Austriacus Nassouio. Anno Ch: *1298*.
Tunc prodit ex ignoto Latibulo, OTTOMANICA
Hydra,
Nunc Christianitatis spoliorum ingluuie vorax;
Olim,
Austriaci Herculis pugillatu, casura.
At, ô
Quantùm magna, magnis conueniunt!
Hic bello marcidus, at pugnax TAVRVS;
Fertilitate pacis Saginatus,
Inte-

Interit:
Amicis causantibus, Inimicis dolentibus.

☞ GEMINI. *III.*

Philadelphica binorum Pusionum sculptura,
Geminos Heròás represéntat;
FRIDERICVM, I. & ALBERTVM II.
Priori, hæsit auita pro stimulo gloria;
Repetendi armis Imperij:
Anno Ch: *1321.*
Alteri, mansit redditus supremæ potestatis apex:
Anno Ch: *1430.* *Car: f. 447*
Prior, ante vitam Imperium abdicãs, Hic, cũ vita deponẽs.
Crudelis nihilominus ingreßus est solij; si ad id,
nonnisi ferrea via, peruenitur.
Ac miserrima Regnandi seges, si non crescat: nisi
sanguine irrigata.
Ciuilis prudentiæ Symbolum,

☞ CANCER. *IV.*

Ac consummatæ bellicæ scientiæ Typus;
Longæuitatem, ac Prouidentiam,
FRIDERICI II. Demonstrat.
Nunquam facies (inquit ille) rectà Cancrũ ingredi;
Nec virum magnanimũ, rectà fronte, periculis obyci:
 Refu-

Refugum nolim; retrogradum damnauit nemo:
Vt qui non fugiat, nec prouocet pericula.
Nocet plerumq; inconsulta audacia, sæpè prouido ex receßu non parum commodi.
Car.f.447 FRIDERICVS Electus Imper: A. Ch: 1440.
Regnauit Annis Quinquaginta Quinq;,
Hoc aquatile terrestris Zodiaci,
Apprimè Castalias dilexit vndas;
Doctus, simul eruditorum Fautor,
Bellator, ac pugnacium Patronus;
Ad acinacis & libri Symbolum, addito lemmate:
Neceßarium vtriusq; coniugium.
Hinc certauit cum Imperantis Indole, sæculi ingenium,
Duplici præstantissimo inuento:
Typographica, & tormētaria, artibus;
Altera viuere mortuos; altera viuos mori efficiente
Ita prouentus felicitatis datur, non sine recompensa malorum.
Itaq; FRIDERICVS, fuit
Simul, Marte honorificus, & excultus musis:
Minùs enim proficuus Reipublicæ Ensis, aut minùs Maiestati decorus: nisi consuli sapientiæ in fascibus præferatur.

Hic

Hic vndante iuba per colū, armosq;
☞ LEO. V.
Ferarum in terra robustissimus,
Signorum in cælo calentissimus,
MAXIMILIANI vera Idæa;
Electi, Anno Ch: 1494. Car.f.458
Percurrente sole Leonis tropicum, spatiosissima
Dierum incrementa sunt;
Etiam sub hoc, Austriaca magnitudo, in auge stetit:
BELGIO successione, HISPANIA Dote, HVNGARIA affinitate,
Receptis aut deuinctis:
Tranquillata GERMANIA, Pacificata ITALIA,
Redintegratis VENETIS.
Amabilis Pace, Bello metuendus,
Nestorea suada in consiliis, Herculeo animo in periculis,
Antiquis Imperatoribus par, Coëtaneis superior,
Successuris Exemplum.
Animosus Austriaci cæli LEO,
Pietati fortunam ancillari voluit: postestatem rationi.
☞ Iam VIRGO. VI.
Aut religionem in CAROLO V.
Aut CAROLVM in religione repræsentat;

 Vult

Vultu illa amabilis, seueritate admirabilis,
Immota constantiâ,
Hoc flammiuomum sidus:
O quot excucullata lasciuia Procos, suis ignibus adussit!
Lenonizantem Hæresim, nè mundus contagiosa lue
inficeretur: sua intra prostibula clausit:
Ac in fundamento petræ, firmo pede innixa,
Triumphat;
In consummationem sæculi triumphatura.
Non aliter celebri Hercule Germanico: nisi in Heterodoxa monstra incidisset.

Car. f. 464 At CAROLVS V.
Electus, Anno Ch: 1519.
CÆSAR in GERMANIA,
Dùm Principib⁹ Imperij rebellib⁹, & victis parcit;
AVGVSTVS in HISPANIA,
Dum opulenta pace vltra Gades, & fortunatas noui orbis Insulas, Imperium profert;
ALEXANDER in ITALIA,
Dũ veteris superbiæ retinentẽ Romã expugnat, & liberat
GALLORVM REGEM prælio victũ, capit, & humaniter habet;
MAGNVS in BARBARIA,

FES-

Fessæ ac TVNETI REGES, pro arbitrio deponit, aut instituit.
Quam animi moderationem in Virgine requiras?
In tanto Victore habes.
Quo fortunâ suâ se maiorem ostenderet, minimum fecit:
In FERDINANDVM fratrem, Rom: Imp: curis;
In PHILIPPVM FILIVM, Regni Hispan: mole
Translatis;
Nouiter reassumpto, post Diocletianum abdicandi
Imperij exemplo:
Quem orbis capere non potuit, intra claustrum seipsum clausit.
Et qui iam soli nimius erat: intra VALI SOLETI
Cancellos, soli & mundo Vale dixit.
CAROLVS.
Humanæ vitæ directrix magistra æquitate
☞ BILANX. VII.
Non alij erat nisi IVSTI tradenda manibus
FERDINANDI, I.
In Regem is Romanorum electus;
Anno Ch: 1531.
Abdicante Fratre habenas Imperij suscipit; A. Ch: 1556.
Non alius libram Iustitiæ æquiponere dexterior;
Immò ambidexter:
In præmia simul ac pœnas, ex condigno paratus;

Stu-

Studiosè moderatis in statera ponderibus: vt nec irrepramiati boni, nec impuniti mali manerent.

Hic,

In omni humana scientia Dictator, Fortitudinis prodigiũ, Fortunæ constantis miraculum.
Æqui tenax Agesilaus, Recti amans Traianus, Legum obseruantissimus Licurgus;
Clemente Genio, Ingenio perspicace,
Competente suis qualitatibus Libræ Symbolo:
Decet etenim non gemmis magis, quàm virtutibus, Imperatorium Paludamentum radiare.
Cælestes inter Coluros

☞ SCORPIO. VIII.

MAXIMILIANI, I.
Hieroglyphicum;

Huic Imperandi fasces delati,
Anno Ch: *1564.*
Non amplius cauda minax reptile, immò salutaris Christiano orbi Theriacæ confectiuum.
Dipsadem pinxerat, quispiam Pelicani pectus admordentem, cum lemmate Semper ardentiùs.
Ottomannica sanguisuga Dipsas; Christianitas Pelicanus: MAXIMILIANI fortuna exangui popello Salubre antidotum adeò,

Vt MAXIMILIANO Maximi nomen,
Triumphati Tyranni Turcici indiderit humilitas.

Ille,

In veteri Orbe, Ecclesiam propugnauit;
In nouo, Religionem propagauit:
Amor, ac Deliciæ generis humani;
A Principibus COR GERMANIÆ, à Populis OCVLVS MVNDI, adæquato virtutibus Encomio appellatus.

☞ Arcitenens CHIRON iste, IX.

Capite prudens, Manibus dexter, Pedibus pernix,
Necessaria Imperāti requisita graphicè depingit:
In quorum Capite consilia nasci oportet, Ac si MINERVAM *è cerebro* IOVIS.
Non ignauis manibus eadem promouenda, Apollinis Spiculorum certitudine;
Si, exequendis Pegasea celeritas adsit:
Non plus vltra.
Connatæ ex RVDOLPHO II. Dotes,
Immò quasi adiuncta Pietatis fuere;
Electo Anno Ch: *1575.*

Ille,

Ferociam Turcicam, elusit fœderibus, aut inhibuit armis;
Æmulationem fraternam, beneficio composuit;
Subditorum inquietudinem, tranquillè tulit;
Vicinorum Amicitiam æquanimiter obseruauit.
In suo otio, intentus negotio;
Vndarum in modum, quæ supernè statariæ, introrsum indefesso cursu labuntur:
Ac nè à Hyppocentauri Hyrogliphico discreparet
RVDOLPHVS,
Piaf. Bellacium Equorum altor fuit;
Gecrosi Quadrupedis alūnatu apprimè delectat⁹:
Capite inturbidus, Manibus innoxius,
Pedibus Celer.
Chiron alter,
Ventilantis aduersum gentes Cornibus,
☞ CAPRI X.
Sors cecidit super MATTHIAM,
Inscendit is Imperatorium Solium:
Anno Ch: *1612.*
HVNGARICO, ac BOHEMICO, iam antè redimitus Diademate;
Hic Capruncvlus;
Quò nouis fortunæ incrementis, vberiùs luxuriaretur;
HOL-

HOLLANDORVM campis se commisit.
Sed nunquàm bona fide ignem aquæ: Hæresim pietati sociaueris:
Abscedit, & abdicat;
Opimum pastum PVPILLVS BELGII;
Ne Austriacæ pietati nuncium remittere cogeretur, Piasin.
Hinc fratri RVDOLPHO extorsiua adoptione suffectus;
In FERDINANDVM Patruelem,
Iura Sceptri deuolui facit.
Ita est,
Imperium non Patitur Socium,
In plures alueos distracta flumina minuuntur:
Potestatem si in plures diuidas, amittis.
Ac, quò
Petulcus Capricornus licentiosiori pede nō exspatiaretur,
CLESELIO Card: ac primario status Ministro
Capriuato,
In ordinem redigitur; donec vita abiret.
Ganimedæa manu inter astra relatus
☞ CISSIMBION. XI.
FERDINANDVM II. Rom: Imp: respicit,
Electum Anno Ch: *1619.*

 AQVA-

AQVARIVS iste,

In Zodiaco inter feras, in terra inter feros, constitutus:
Meliori sorte in cælo feris, quàm in terra cõuiuere hominibus,
Primum turbida BÒÉMIA, Vrnam mouet;
Literis Maiestatis, Domicilium Maiestatis, inquietans
FERDINANDVM:
Nusquàm seditio sedatè agit,
FRIDERICO Palatino Bòémiâ, Bethlem Gaborio HVNGARIÂ STEPHANO Ragocio TRANSILVANIA, opitulantibus.

Hi,

GERMANIAM Amphiteatrum, SPECTATOREM Orbē,
CHORAGI Ipsi nacti,
Acre Martis Symposium;
Cuius Prothasis rebellio, Actus Cædes, Epilogus ruina, instituunt.
Ast, PRAGENSE prælium ostendit, Auxiliarem DEVM
FERDINANDO fuisse;
Qui exautorato PALATINO ad incitas redacto GABORIO
TVRCA, SVECO, DANO, alijsq; hostibus
superatis;
Hæresi proculcata, MINISTRORVM perfidia subacta,
Amicos optimè, Inimicos fortisimè tractans;
Ac velut Salamandra igne, continuis bellis innutritus,
ijsdem immoritur.

Quis

Quis neget AQVARIVM hunc, Scypho Herculis gloriosiorem!
Immo verò;
Alliduntur ignauæ mentes, ad puluinaria etiam;
Generosum pectus acsi Adamas, qui inter incudem,
& malleum, inconcußus manet.

Diuina Prouidentia,

O mutis quoq; piscibus
Donatura, Cygni si libeat sonum!
Quantis turbinibus procellosum hoc Imp: Rom: Mare,
intumuit: Ventorum sæuitiâ, tempestates alternante,
enatauit miro successu, decumanos fluctus

☞ PISCIS iste; *XII.*

FERDINANDVS III. Electus, Anno Ch: *1636.*
Coronam Imperij Rom: Septem-Virali Electione,
Curas Bellorum, succesione Paterna
adeptus.
Gaude Romana religio, hic AVGVSTVS *horribilem*
Crocodylum ad palmam religauit:
Sacro bello confecto, restituta postliminio Germaniæ
pace,
Pontificibus Templis, Honore, Sacris, cultu, agris
redditis;
Ipsa deniq; terris exule è Cœlo deuocata THEMIDE,
Tot tempestatibus agitato Imperio;
Serenum reinduxit.

Piscis

Piscis olim (narrante Xiphilino) ad pedes Octauiani
Augusti, miro saltu accidens, edomandæ
SICILIÆ *Omen dedit.*
Quidni FERDINANDO Pisces quadrent?
Impletum Triumphi, finito bello Prognosticon;
Apposita vtriq; inscriptione:
Vince mari, iam terra tua est.
Sed profanus ille bellator OCTAVIANVS,
FERDINANDVS *Victor sidereo clypeo & cœlestibus armis:*
Europæ Columē, Religionis Basis,
Sapientiæ Oraculum.
Te verò Augustissime LEOPOLDE,
Amicissimum Orbi Christiano Phænomenon:
Est, cur in hac rotatili firmamenti machinâ,
inter sidera non locem?
Tuæ partes sunt,
Laureatas cum sole manus extendere;
Triumphatricis Crucis gloriam, protrito Turca proferre;
Immunitates Ecclesiæ, cohibita Hæresi fouere;
Demùm, vbi annorum satur,
Transcripta in Nepotes amplissimi Dominatus
hæreditate;
Reluctantibus terris, Morantibus fatis,

Cupi-

Cupido bonorum cælo, nomen inferas.
Sed, quorsum hæc? sine facundia Orator?
Sine energia Panegyrista? sine arte Astrologaster?
Nimirum,
Vtranti Orbis splendores, tuam nobis assererent
Claritatem,
SMA. ELEONORA
A tantis sideribus deriuata luce,
Præluce optatâ tenebricanti Septemtrioni Cynosurâ;
Tempestatis finem, ex sereno lucis tuæ augurio capit,
Quassata fluctibus POLONIA
Tu, cū SMO. MICHAELE
REGE NOSTRO,
Quos
Colūba omine, Apes præsagio, Multitudo cōsēsu,
DEVS miraculo,
Inter ambientium vota, inuidentiū æstra, maleuolorū molimina
Præmonstrauit;
Via totius spei nostræ es, & clauis omnium commodorum;
Palmarium munus terræ, aut veriùs Soterium à Cælo.
Vincit pro vobis DEVS, aut in DEO Vos;
Nam, *qui supernis protegitur auxilijs, felices aduer-*

sarios

sarios habere non potest.
Inducat licet nonnullorum sensibus stuporem,
Virulenti præsteris morsus!
Vt sui nominisq; POLONI obliti, in caucaseam rupem
Obdurescant.
Insectum tamen istud, amisso aculeo, torpescet.
Infelix Pyrausta iste,
Tamdiu adhuius Serenissimi ignis, fulgorem alludit,
donec amburatur;
Nam, si Entheatum ambitione animum,
Nec prodigia Numinis, nec tot cõtinuatæ felicitatis
Miracula mouent:
Rubrum mare restat, obdurato Pharaoni.
O cui magis apposité,
THEODOSII Imp: Rom: Tabula quadrat!
In qua occupante Peristylij centrum
Inscriptione,
DIVINA PROVIDENTIA,
Cõcatẽata cælestiũ Donorũ phalãx, ponè accubat;
VIRTVS, SCIENTIA, AVTHORITAS,
FELICITAS.
Hac quadriga Solium Sarmaticum inuecti vos,
Eadem stadium diuturni æui decurrite.
Imponite triplici bellorum climacteri colophonem,
Date

Date Aureis temporibus exordium,
Vt tandem
Calamitate afflicti Regni, ad calcem deueniente,
Iuuentus AQVILÆ POLONÆ sub vobis renouetur:
Cadente malorum Hespero, Posphoro nouæ fortunæ exoriente.
VIVATIS, & REGNATIS:
Adstipulari ignitis votis fortuna videtur;
Immo DEVS,
Euidentibus potẽtiæ suæ immẽsæ, signis, pro vobis
Pugnans;
ILLE, ILLE Supremus Arbiter Vobis propitius,
Nec metas rerum, nec tempora ponet;
Imperium sine fine dando.
Quam Felicitatem vestram,
Mirabuntur multi, assequentur pauci, omnes cõmendabunt.
Quod dùm Voueo, & Opto,
Proram interim humilis rauigij obuerto;
Carbasa complico, Anchoram figo,
SCRIPSI.
A. M. D. G.

Coronidis loco Salutatoriam, ad ingreſſum Poloniæ, tanti ſideris ſcriptam, quo vacans pagina impleretur, ſubiungere viſum.

PRÆ-

PRÆLIMINARE
MAGNÆ HOSPITI
SALVE
SMÆ. ELEONORÆ
PRINCIPI Hungariæ ac Bohemiæ
ARCHIDVCI AVSTRIÆ
Auſpice DEO
Futuræ POLONIARVM Reginæ.

DEuolas tandem in amicam venatoris Sarmatici manum, AVGVSTA Rom: Imp: Ales. tum demũ gemino vertice, biceps futura, vbi Aquilæ Polonæ Sociatam, ſtrictiſſimo nodo AVSTRIACA TÆNIA faſciabit. Dudum

hoc Orbi Paradoxũ, geminũ Caput, vno corpori affingere: verum nostratibus, haud quaquam mirum, quibus tot experimentis compertum est; AVSTRIACA è Domo, REGVM POLONORVM Consortes, ita amore coniugali Maritis, affectu subditis Populis concorporari, vt iuxta veritatis æternæ programma. *Duo in Carne vna fuerint*. Aquila liberrimæ gentis huius, exspatiata olim per varias Orbis plagas deligendæ compari. Peruagata est Hũgariam, ac cui primitiuè luminis Euangelici participium debet Bohemiam. Resedit quandoq; in Mitratis Roxolanarum toris, iam Rhenano-Alemanarum, imperiosas nuptias experta, in rigido Aquilone arsere Regij amoris nuptiales tædæ quandoq;: quandoq; Maritandis Regibus Nostris, Transalpinæ Regiones scrutatæ; Vnde & Arragonicos Angues habuimus, & ex dissito Lilieto transportati flores fuere. Vtriusq; non ex voto vsu, nec ex illo reptili proficua rebus Polonis Theriaca, & ea natura florum, vt quam diu sint recentes tamdiu grati. Coniunctione AVSTRIACA, nulla oportunior rebus Poloniæ, nullæ magis populo Polono placuerunt consortes nisi ex illis, nulli Re-

ges

ges nisi quos illæ genuissent. Lacænæ solæ olim Viros parere creditæ; ast AVSTRIACÆ REGES, lege fati vtriq; sexui propitia, vt dum aliæ gentes Tronis excipiunt Mares, Polonum Diadema sexum fragilem sibi vendicaret, fidissimas Regij tori socias capiens, & Matres veriùs populorum quam Reginas. Quippe felix AVSTRIACA planta, in eam excreuit adminiculo pietatis amplitudinem, vt nec oriri, nec occidere Sol possit, nisi intra AVSTRIACÆ Dominationis hæredia. Hæc est cælo proxima Domus & propaginibus alijs stirps vna felicior, cui excolendæ Numen fauit impensius, vt possideat Cælum pietate, Orbem Imperio Sed obruit captum dicendorum amplitudo, & itinerariæ breuitatis orbita, curiosam diligentiam excludit. Præter tot AVGVSTA Rom: Imp: Nomina, ãpla dicẽdi materies foret, nisi CAROLVS V. incomparabili paradigmate, tot Regnorum PRINCEPS, gentium domitor, bellorum victor, vnus AVSTRIACÆ magnitudinis compendium fuerit, qui æmulis, aduersarijs, hostibus, captis, retrusis, victis, ne non post deuictum Orbem, sui quoq; victor non esset, in Hieronymiano Valisoleti asceterio de seipso, Triumphum egit.

 Nec

Nec ſolum virorum laus pietas fuerit, veniunt in participium hereditariæ virtutis AVSTRIACÆ mulieres. Hac dote magnæ Matresfamilias impleuerunt quotquot in Orbe Europeo celebriores Regias, & quis maiorum gentium Thalamus, qui non AVSTRIACAM Coloniam agnoſcat? Rectus de DEO ſenſus, feruens in eundem cultus, humilis Corporis miſtici veneratio, in Diuam MATREM Diuoſq; addicti animi ſtudium, ſemper fuere AVSTRIACÆ pietatis parapherna. Secuta mirifici effectus virtutem, comes & appendix, temporum felicitas, & poſitis armis gentium quies. Hoc DEI beneficio præclaræ Reginæ, ſed meliores Matres, manſuetis artibus, recognitionem Maternitatis à ſubiectis populis elicuêre. Nec vetera aut externa prolixus indagator conquiram, ſi Polona & recentia ſat ſuperq; informant. ELISABETHÆ, ANNÆ, CONSTANTIÆ, CÆCILIÆ, quid aliud niſi benefica Patriæ noſtræ ſidera? quæ RENATAS in Te nobis S^MA. PRINCEPS oſtendunt Harum AVGVSTA nomina, manent in memoria populi Poloni, iugi beneficiorum recordatione, ita formati; vt alias qualeſcunq; Reginas toleremus AV-

STRI-

STRIACAS nunquam diſcolas, experamus votis. Hæc igitur vota, hæc deſideria noſtra, dum magna expectatione arrecti Poloni ferimus. Etiam Te S^MA. PRINCEPS votis noſtris correſpondere neceſſum, vt inhæſitanter iungantur MAGNA SPES, & BONVS EVENTVS. Vt virtutes illas, nobis pridem notas & æſtimatas, grandem Imperatrice è Domo dotis cumulum, id eſt PIETATEM, non nomine ſolùm, ſed re quoq; AVSTRIACA, in Poloniam inferas. Vt publicis negotijs impermixta, nuſquam libertati ſuſpitioſa, impleas magno Regi compar, torum illum, quem laudata AVSTRIACARVM fæcunditas, toties Martia prole cumulauit.

Ingredere igitur Numine propitio, trita Materteris tuis Regni noſtri limina, quæ Heroinis AVSTRIACIS, alteram velut Patriam fata deſtinarũt. Ingredere futuræ felicitatis oſcinis, deſideratæ pacis auſpex, Mater populorum non Nouerca, non priuignorum odia ſed filialem affectum, vel ſi quid amplius à nobis præſtari poteſt expertura.

Ac ne ſola verba affectus in te noſtri indicia ſint S^MA. PRINCEPS, etiam dona ferimus, illa quidem pro modulo noſtro magis, quam pro amplitudine

tua.

tua Nec tamen si probè dispicis AVGVSTA manu indigna. Dari Regibus munera, Persica lex iubebat. Nuptialia item dona offerri, mos gentium recepit. Paremus, & ecce hunc Torquem, nouæ Nuptæ ac REGINÆ nostræ ferimus. Non conchiliatum illum, aut cui grauis Aureo vellere Aries, pendulus insit. (& si hæc domestica sunt Maiestatis suæ Cimmelia) sed cuius magnum principium, AVSTRIACVS CORYBVTHÆVSQVE Sanguis, in ERNESTO ac CYMBVRGE consortibus, per descendentium stirpium decora, rursus in vobis magni Coniuges coalescit Catena hæc omni Auro, quod siue Tagus Pactolusue voluit prætiosior, ac Orientales gemmas supra, dum inclyta, vtriusq; contrahentis, progenitorum serie, ad miraculum vsq, inæstimabilis est: haberi debet Orbi inter prodigia, Poloniæ inter decora.

In cuius cohærentibus circulis videre licet tot laureatas AVGVSTORVM effigies, iam vltra Gades, ac vltimos solis recessus, trophæa figentes: iam ad Naupactum Turcico cruore, conspergentes maria AVSTRIACOS. Hic IAGIELLONES CORIBVTHOSQ; Olgierdinum sanguinem, rigido Septemtrioni Iura dantes, ac in coætaneam illam Byzantij Hydram Herculeas manus armantes.

Hanc Arram S^MA. PRINCEPS, quidni studiosè recipis ab offerrente Populo? non ingratum vt speramus munus, dum ad istam Immaculatissimæ MATRIS DEI & Hominis Aram, in Sacra fædera descendenti porrigitur.

Imus, imus, non ad Iunonis Lucinæ delubra, fictam irritis votis Deam fatigaturi: Verùm in hoc Propitiatorio Altissimi, ad hoc Altare Thymiamatis, supplici corde fundimus suspiria REGINA hæc COELI & MATER, Te PLACIDIAM nostram, mitissimis moribus Reginam, felicibus puerperijs Matrem nobis præstare dignetur. Etiam Tibi S^MA. PRINCEPS exoranda hæc TAVMATVRGA MATER est. Vt quemadmodum Olgierdina nostra Cymbarca, tot ex se dedit Orbi AVSTRIACOS: ita repetentibus Polonis talionē, Tu quoq; AVSTRIACA nobis viceuersa parias CORYBVTHOS.

Verùm si ad reuulsum hirrienti cardine, Iani nostri ostium horrescis? Si è laureato pacatæ Germaniæ penetrali deueniens, ad monstra nondum exanimati belli consternaris? Nihil est Aug^MA.

PRINCEPS, quod metuas. Tuæ hoc debitum felicitati, vt post rigidam interneciui belli hyemem, grata reuolutione floridum ver, nobis noua hirundo nunciares. VLADISLAVS magnus olim REX noster, profunda Poloniæ pace, inter AVGVSTORVM Aui Patrisq; tui Classica, pronuba Bellona, CÆCILIÆ Materteræ Tuæ coniugium exâbiuit. Tu quoq; reciprocum nobis rependas officium, desideratum GERMANI sidus, finem tempestatis nuntians, & mox secuturam animorum & armorum Malatiam RVDOLPHVS II. Maiestatis tuæ Proauus, hoc sibi ascripserat Lemma OMNIA VOLENTE DEO. Ita est. Quis vt DEVS? Qui si nobiscum quis contra nos? Hinc quoq; corroboratæ spes nostræ, in futura vertunt fiduciam, S^MVS. quippe noster MICHAEL verè DEI GRATIA REX Tu quoq; S^MA. eiusdem GRATIA REGINA, proficua rebus nostris colligatione accessisti, vt vos à DEO mirificè datos, iure merito beneuoli dicant, Inuidi dicere debeant.

Vnum porrò quod est si suppudeat, fateri tamen necessum, quod sub aduentum MAGNÆ HOSPITIS, non adhuc omnibus indices gaudij animos, effun-

effundere contingat. Dum in solidum hoc debitum æs, exoluere non possumus, per partes, quod benigni Creditores solent; recipiendum est. Sicut quippe Organa, per statas vices, irrequieto alterni follis spiramine, vocalia sunt: Ita in hac magna Regni Compage, dum alij occurrunt, occurrere parant alij: isti bonum nomen debitores, illi sat cito Officium exoluturi, vbi ista suspicionum caligo, virtutum tuarum S^MA. PRINCEPS radijs discutietur. Distinet adhuc, dum suspicaces celeritas ipsa confecti negotij, & pigra prudentia, postquam diu deliberauit, inutili cunctatione, agendi tempora moratur. Verùm ignoscendum est non iniquo timori, quippe veluti oculus qui etiã locum, non pati dicitur, ad lenem deciduæ festucæ casum, muro palpebrarum consulit pupillæ suæ: Ita libertas Polona, scrupulosæ circumspectionis plena est; sua quandoq; præsidia formidans. Ex tropicis prioris Aulæ docta, vt à quibus vix cõsilia, ab ijs darentur Imperia; eo vsq; exardescente ambitu, vt quæ vellent supra sexum vellent, ac molirentur. Inde malorum omnium occasio, & Horologium hoc Regnandi vni redditum, dum incom-

incompetenter alterius manus tractat, pessundat. Vitabis Tu S^MA. Princeps, istos scopulos, & velut vada, intentata relinques, Optimæ Coniugis officium, tum demum impletura, si grauissimos Mariti REGIS labores, quibus Orbem hunc Sarmaticum capessit, sustentans, publica in tacta siueris.

Nec iam vltra tædium anxiæ expectationis nostræ differas.

Posphore redde diem quid gaudia nostra moraris.

Satia desideria nostra, ad famam qualitatum tuarum erecta, satisfac ardentissimis votis, exuperans ea, maiori quã vnquã optare potuissemus successu. Excelsa de Te nobis, nũquam degenerans Stirps promittit. Indoles, educatio, affectus ad Angelicos mores formati, sublimia quæq; de Te nobis pollicentur. Formæ nitor etsi rapidus, & vernalium florum mutabilitate fugacior, quis non tamẽ venusti oris decorem, virtutis domicilium dixerit? Amittit pretium Adamas, nisi substrato repercussus fulgor scintillet, informe aurum, nisi expolias villescit. Ita dignitas ac decus oris, conciliat virtuti Maiestatem, sub qua, vmbella velut, magnificentiùs residet. Nata

Natalium quoq; tuorum supra cæterorum fastigium claritudo, modestiam nobis, ratione temperatam spondet. Raræ quidem est felicitatis, à felicitate non vinci: illos tamen præcipuè tumidus superbiæ Typhus distendit, qui superficie tenus, crassi, ac Hydropica velut corpora, aut supra mensuram humanam vmbra, sese ostentãt Insistas Tu S^MA. Princeps Materterarum Tuarum vestigijs, quæ in summo apice, omnium rerum diuites, sola indiguêre arrogantia. Sed hæc aliaq; non conticescet vberior dicendi vis, ac vocaliores post sopita bella Musæ, vt anteactæ fortunæ Poloniæ, obliuisci non possunt: ita modernam supra spes felicitatem, silere non debebunt.

Vos interim Magni Coniuges Quod felix faustumq; sit

Jungite concordes mansura in fædera dextras.

J. M. J.

HONORARIA
Propenſorum Amicorum
MNEMOSYNE
SEV

In Hypomnema Reginarum Poloniæ, Autori transſmiſſæ Inſcriptiones;

Stimulus Veteris Amici,

A. R. P. VALERIANI GVTOWSKI, S. T. D. Ordinis S. FRANCISCI, PP. Conuentualium Cracouienſis Guardiani, quo incitatur Autor, vt Hypomnema Reginarum Poloniæ, prælum ſubire permittat.

Hactenus
Zodiacus Europeus obliquos egerat curſus,
Quoadusq; Tu nouus Anaximander illos non intellexeras,
Sagaciſsime Reginarum Noſtrarum
Encomiaſtes,
Adeo nullus extitit tam felix Atlas,
Qui,
Suis humeris, hoc pondus Olympi Sarmatici,
Suſtentaret.

RARVM

RARVM *eſt* QVOD *errat* IN *cælo,*
At in Polono Polo, nihil omnino extat,
Quod non inuerit in Obliquum.
Vbi verò Tu Solertior Alcides,
Hoc pondus moliris ſuſtinere,
Non vnus armatus Orion, inermis in haſtam ſurrexit,
Non vni Mineruæ, clypeum porrexiſti:
Si huius Zodiaci plagas obliquas in recto conſtituas,
At ſi reſpuis?
Fama cuncta ſtare ſcito,
Et hic qui cedit fugere creditur.
Si vereris? Aude;
In ſole publico natus es? Priuatus cur viuas;
Theſaurus abſconditus vt raro inuenitur,
Sic rarum ditat.
Nullus eſt color metallo abdito terris,
Nec ſol inter tenebras clarus,
Et lucerna ſub modio
Demeretur *lumen* quod habet, quia nulli dat.
Celata virtus ſterile bonum eſt,
Prodita admiratores parit, & amatores.
Prodi de tenebris Noue ſol, & omnibus lucem mutuaſti;
Ea namq; ſolis natura, Non exoratum exoriri.
Quod ſi prodieris,
Tenebras minimè vereare:

Solis

Solis enim cum tenebris nulla vicinitas.
Redde lumina Sarmaticæ Sphæræ, & lucidam effecisti;
At si quæ tenebræ illam obnubilant,
Noctuas puta, quæ raro solem intuentur;
Quia & diem oderunt.
Restitue, soles huic Zodiaco!
Ne damnati ad Antipodas delitescant, damna tenebras ad Cymmerios:
Nunquam enim securiùs regnant tenebræ, quam sole sublato;
Dabit hoc cælum tot sidera, quæ fixum illud efficiant.
Constitue soles in auge?
Et sidera reparasti?
Stellæ namq; raro non comitantur Solem,
Et si quas reperis erraticas,
Quæ soles Polonos inumbrent.
Sunt pariter in cæteris tot lumina Gratiæ supernaturalis
Quæ aduerso resistant Orioni,
Si RIXAS metuis?
Etiam inter has antipathiam discordiæ haud videbis,
Diui his quoq; resistunt:
Æqua Venus Teucris Pallas iniqua fuit,
Scande hunc Polum feliciter;
Et ausum temerarium Phaetontis euasisti.
Non est scilicet temeritas felicitatis Mater,
Nec de Rheda, iunctis pedibus saltatur
Age feliciter solis Poloni Quadrigam, nec time Occasum!

Occi-

Occident alij, qui ab occasu inchoarunt;
Tu lucebis Quia in Oriente cæpisti?
Tu meridiem semper experieris!
Quia primus ORIENTEM salutasti
Si itaq; orieris, Nobis diem effecisti!
Si occides, diem perdidisti!

EPICITHARISMA

Perillustris & Admodum Rndi: Dni.

D. M. IOANNIS RADZKI,

S. T. D. *Cursus Theologici in Acad: Crac: Professoris, Canonici S* FLORIANI, *in Arce Crac: S.* GEORGII *Custodis, & Ecclesiæ Cather: Concionatoris Mariani.*

G. D. VESPASIANO
A KOCHOW,
KOCHOWSKI,

Vice Zuppario salisfodinarum Vielicensium,
OLIM
In humanioribus disciplinis Academiæ Cracouiensis suo Discipulo,

Ee Amo-

Amoris & Gratulationis ergo.

ABsiste vulgus. Nil tenues iuuat
Pulsare chordas: hic Helicon Nouos
Phœbiq; Musarumq; Neruos
Sauromâtum genijs reposcit.
En ille vestras, pullus ad exedras
In quanta Velox nomina subuolat?
Orâcla pandens? Sophoclæo
Æmulus aggreditur cothurno,
Antiquitatis Numina prouocans:
Et quidquid vnquam dogmatis Enthei
Scripturientûm, vena fudit
Hic reuocat generosus Ales.
Ast cur remisso, lentus ades mihi,
Apollo plectro? Vix imitabiles
Enthusiasmos, Dactilorum
Turba, cheli taciturna tangit?
Linquamus ergo, Theologum iubar:
Et prastantum Cerberus Hæresum
Stoæq; Stagyræq; nuda
Entia, cumq; Aquinatis ore,
Nunc, nunc fugaci, vel modicùm choro
Trans vsq; Tulen, Ceditè Ceditè:
Succede Pallas, prisca vatum
Sarmatico famulans Olori
Et sic reuertens, ad veteres Lares
Ad sacra Vatum, composito pede
Apollo CANTI, ductor adsis
Auspicio meliore, vati
Congratuleris vatibus, & Lechis
Bellona quorum Palladem inauguret:
O faustitatis Diua nutrix?
O ego discipulis beatus?
Clamabo: totus Orbis, vt audiat
Dariq; poscat tot Zopyros sibi,

Mirum?

Mirum? sed admiranda fari
Verba Lyræ socianda, præstat.
Tune es KOCHOVI, Socraticæ meus
Infans Palestræ, Tune superuolas
Ad sacra Regum? Coryphæus
Pindarus alter & alter Orphæus.
Iò Triumphe? Non equidem piget
Io Triumphe? dicere Gratiis
Tantos Coronarum tumultus
Imparibus sequitando metris.
Quas Tu, sagaci mentis anhelitu
Et luculento dum penetras Stylo,
Stupemus omnes, vixq; nostra
Gaudia, vix capimus legentes!
Sic est? Tamen tu, perge tuo gradu
Lustrare Manes, Perge Polonicos
Ornare fastos, Patriamq;
Clarisonâ celebrare suadâ,
Campestris isthæc Sarmatiæ plaga
Nasonianis risa calumnijs,
Isterq; Vandalusq; Musis
Vt Tyberis fluit Hyppocrenen.
Et quidquid vsquam, dulce sapit Metris
Trêissa pangens Carmina. Te Duce
It ritè fatis? Per te Athenæ
Craciacis spatiantur Oris.
Illæ illæ Athenæ? proh dolor! ah dolor!
Machometanis iuribus impiè
Seruire facta? Litterarum
Barbariæ miserè ingemiscunt
Ast hæc profundo mitto silentio.
Quin tu propinquis, Cauta periculis
Edisce, quid debes tenere
RVSSIA, Schysmatisare cessans

Viden?

Viden? vt huius scænæ superbiæ
Sensim dehiscat & sine sensibus,
Gaudens ruinari furore,
Quo tumidæ periere gentes.
Pars Tauricanos, iussa sequi Scythas,
Pars Stambulæ, Vendita Thracibus,
Fleuere collatis in vnam
Schysmatibus, coÿsse stragem,
Et quod malorum culmen, ad inferos
Transisse, tanti iure supercili:
Eheu pudendum? quo fugâris
Trans Asiam Lybiamq; turba!
Sed tu Lechæi magne nitor soli
VESPASIANI sanguinis æmulus,
Romana, qui nunc literarum
Huc ad Hyperboreos Triones
Trophæa transfers. Viue. Vige diu
Facessat audax inuidiæ malum,
KOCHOWIANÆ stet colossus
Indolis hic generosus ardor
Et sicut olim Cæsarum & inclytum
VESPASIANVS delicium fuit
Orbis, Palæstinæ flagellum
Cælitus, à Nemesi datus sic
Sic tu Polonæ sal sapientiæ:
Ingensq; nostri delicium Chori,
Vige, perenna? Crescat ex te
Sarmatiæ generosa Pallas.

IM-

IMPVLSVS DOMESTICVS.

DVM
G. D. ALEXANDER A KOCHOW KOCHOWSKI,
PATRVVS.

Ex Fratre Nepoti, Hypomnema REGIN: POLONIÆ edenti, laborem eum gratulatur.

QVis rite dignis laudibus efferet?
Istam Mineruam, Care Nepos Tuam
Cedroq; dignos, hosce libros
Ista tuæ monumenta suadæ.
Queîs tanta fandi gratia, queîs stylus
Inest profundus, talis energia
Isthæc Venustas, suauitas, vt
Mellifluam mereâre Venam.
Quis & labores, nocte dieq; quos
In hiscè Curis, atq; negotÿs
Fers, alter Atlas, Herculesuè
Qui referunt humeris Olympum
Curæ tibi sunt commoda Regia,
Curæ tibi sunt commoda publica,
Domusq; carorumq; Achatum,
Tum Latiæ, Lechicæq; Musæ

Ee 2 Dum

Dum si tibi quid suppetit otij
Ab expeditis hisce laboribus,
Non otiaris, ast id omne
Das oculis, calamoq; docto
Dum MARIANAS *iam celebras* ROSAS
Iam mortuorum Saxa loqui iubes
Iam Regiarum Coniugum, iam
Lechiadum Polybæa nectis,
Sic tu labori cedere nescius,
Infractus isthæc omnia perficis
Ad instar ignis; nec fatiscis
Mole licet premeris Laborum.
Est hæc Poloni Nobilis Orbita;
Hæc illiusq; est, Sparta potissima.
Ornetur vt sago togaq;
Et valeat calamis & armis.
Pulchrum Mineruæ est artibus instrui,
Pulchrum Gradiui, pulchrius at reor
Ambobus illis; & valere
Arte velut pariterq; Marte.
Quis nescit has res, esse sibi simul
Iunctas: nec vnam posse sine altera
Et esse virgam illam ligatam
Menaliam colubris duobus.
Tritonis almam baiulat Ægidem,
Ostentat Harpen Menalius suam,
Cum barbito Phœbus suoq;,
Fert grauidam iaculis pharetram
Istis duabus rebus, honos tibi
Erat parandus, cum duo tempora
Sunt pacis & belli: quibus nos
Consulimus Patriæ saluti
Ergo vocat quo te Genius tuus
Ardore plenus, perge auibus bonis
Nec conquiescas, donec illud
Obtineas vbi non Plus & vltra

Excel-

Excelsa magni pectoris indoles
Non serpit exul sed velut armiger
Iouis. Polos ipsos aduséq;
Igniuomo penetrat iugali.
Res summa summè est bellica gloria,
Plena at laboris, nec facili via
Triumphat illa nec paratur
Herculeis nisi semper ausis
Vt & scholaris Diua scientia
Sudore summo consequitur nisi:
Non delicata namq; sella
Nec malaco recubat cubili.
Quicunq; seris viuere posteris
Ambit, necesse est, tendat in ardua.
Adire culmen & laborem
De tenero meditetur vngue.
Pensat laborem debita gloria
Honos honorem promouet in magis.
Et laus laboris est sequestra
Et meriti meritùm Didactron.
Sic tu cupis si laudis adoream
Conscende culmen celsus honos vbi,
Sedem locauit, nec recuses
Zyzyphium superare pondus.
Lethæa nunquam Regna Proserpinæ
Virtus subintrat, Vecte silentij
Nec clauditur, nec consenescit
Temporibus sua laus futuris.
Sed quisnam Apollo? aut Calliope mihi
Iam iam vetusto barbiton instruet?
Et in tuæ laudis sonoram
Rite chelim quoq; suscitabit
Laboriosæ hoc, plenum opus aleæ
Ipsis Camænis: non mihi qui pridem
Illis vacaui: & si vacaui
Longus eas sopyt veternus

Iam

Iam nunc Lyæi, plus calices meri,
Fontis Caballi quam latices bibo
Alumnus & pridem Poeta
Pieridum vetus & sodalis.
Sic ille dignum si minus attulit
Adferre, munus sed voluit tamen:
Sit ergo pro facto voluntas
Prompta tibi satis vt paterna.

Epigramma Eiusdem.

In Historias Autoris de Bellis Polonorum futuras.

FAma refert nobis, Chronicos te pandere fastos
Bellaq; Lechiadum tempore gesta tuo
Gratulor ac voueo DEVS *hæc tua vota secundet*
Aspiret, cœptum & prosperet istud Opus
Ergo si quid habes aliqua de parte paratum
Ne tardes luci tradere quantocius
Ergo macte animo, cauto nec parce labori
Et quod cœpisti, perfice dexter opus
Quid tibi Thesaurus prodest occlusus in antro?
Quid tibi sub modio lychnus & ille latens?
Rumpe moras igitur, cupidos nec differ Amicos
Officium vitium, quod mora tardat, habet.

In easdem Historias Iocus.

QVid mirum verus quod non sit semper Homerus
Auritus testis non oculatus erat:
Omnia vera dabit, nobis KOCHOVIVS *iste*
Nam minùs auritus, plùs oculatus hic est.

In Rosarium Beatissmæ Virginis MARIÆ ab eodem Autore editum.

Non prius Angelicus fit Doctor Diuus Aquinas
Donec MARIÆ, *nomen in Ora capit*
Non priùs Orator tantus KOCHOWIVS *extat*
Illius Donec Sacra ROSETA *canit*

In Lapidem Testimonij eiusdem.

Saxa mouet fidibus Thebanæ conditor vrbis
Plus facit hic Autor, nam facit illa loqui.

In Hypomnema Reg: Pol:

Virga Caduciferi Manes reuocabat ab Orco
Hæc virga est oris suada diserta tui.

In idem.

Tuardouius Reges, Reginas suscitat Author
Artibus ille malis, artibus iste bonis

In labores Autoris.

Perdius ac pernox dum tanta negotia tractas
Dic mihi quando leuas membra sopore tua,

Ad eundem.

Dum Regi Patriæ, caris te impendis amicis
Nec minus & Musis, queîs ita sæpe vacas,
Certe multa facis, multis vis atq; placere
Quod vires hominis vincit & ingenium

Idem Patruus Nepoti suo.

Non Cuiuis licitum (ceu fertur) adire Corynthum
Sicut & Aonij pegmata celsa iugi
Ast ego musca velut, pennis quæ se abdidit olim
Reginæ volucrum, sicq; sub astra volat.
Me tibi do Comitem, tecum cupioq; volare
Et tu sis Patrui portitor ore tui
Hoc facit effæto Officiosa Ciconia patri

Formica id fratri præstat amica suo.
Sic tu conscendes velut optas, culmen honoris,
Sic nostrum notum te Duce nomen erit.

APPLAVSVS
GRATVLATORIVS
AVTORI
Rediuiuas in Elogijs Poloniæ Reginas in lucem edenti.

PER

G. ac N. MATTHIAM TRETER,
Equitem Auratum,
S. R. M. SECRETARIVM.

in gratam sui ἀναμνηστ oblatus.

EVicta quondam Cantibus Orphei
Ac erudito Threyciæ chelis
Sono redonauit gementi,
Euridicen Libythina vati,
Quam mox secunda conficiens nece
Profundiores traxit ad inferos,
Tu mortuali dum Polonas
Heroides rapis è fauilla,
Orbiq; rursus restituis Lecho
Nullis atrocis succidua ictibus
Lethi, trahent abhinc KOCHOWI
Perpetuam sine morte vitam.

Videns? vt altos è calami Tui
Redordiuntur Flamine Spiritus
Vmbrisq; depulsis serena
Conspicua facie renident?
Et quos auarâ Mors rapuit manu
Fasces retentant, atq; iterum suis
Mirantur affundi reclines
Sub pedibus tumidæ Quirites.
O Magna doctæ gloria sepiæ?
Cui ipsa parent Fata, nec horridis
Premunt sepulchris quos diserta
Rursus auent animare penna?
Acuta mortis Falx, styli acumini
Concedit vltro; styx nigra Paginæ
Niues veretur eruditæ
Deq; tetro reuomit profundo
Quos Suada nostrum iussit in æthera
Prodire Manes: sic tumulos super
Insultat ac ipsis silentûm
Eloquium dominatur vmbris.
Macte ô KOCHOVI *cui potior sua*
Mercurriali penna caduceo
Tot heroinas è sepulchris
In Lechicum reuocauit Orbem
Dum sueta nostris nomina Fascibus
Fastis adornas. Sæcula nomine
Implebis & fama, perennem
Dando alijs habiture vitam.

❧)(✠)(❧

Excellentissimus quoq; ac Doctissimus

D. STANISLAVS IOSEPHVS BIEZANOWSKI,

In Alma Vniuersitate Crac: Phil: Doct: Col: Min: Ord: Pòé: PROFESSOR, Apollinari cultu & applausu opus editum prosequitur.

REgum Maritas, quæ noua Lechico
Consignat Orbi dextra, perennibus
Amica scriptis? quæ Coronas
Vis calami patriosq; fasces,
Vastæ ruinis grandibus, eripit
Obliuionis? Nouimus Atticis
Opus laboratum fodinis;
Grandine gemm feraq; dignos
Sudoris imbres nouimus Aurei.
KOCHOVIANÆ *pignora gloriæ,*
Sensusq; maturos grauemq;,
Eloquio sapiente pennam.
Hæc illa priscis æmula sæculis,
Non æra ductu fusa Corynthio,
Marmor nec immortale magni
Praxitelis, Phidiæue celat
Iouis stupendos, non Rhodij graue
Pondus Colossi; trunceaq; Lyndij
Fragmenta componit Charetis;
Rudera non operum Myronis,
Prædamq; longi temporis vberem,
Iusto sepultas puluere machinas
Instaurat excisosq; vultus,
Aut Parij monumenta Saxi.
Exa-

Exasciati sed Genio styli:
Molitur aui grande negotium,
Vmbras Maritalesq; Regum
Ad solium, trabeasq; poscit.
Assurge Magnis Lechia mentibus,
Nouoq; Diuas Syrmate Principes
Agnosce; Mausolea quando
Sceptrigeris pretiosa bustis
Patent reducto cardine temporum;
Rursusq; Matres Patriæ, & Arctici
Toriq; consortes, Thronìq;,
Sarmaticum redeunt in Orbem.
Illas sepulchris prouocat Enthea
Vis eruditi pectoris, & sacros
Manes, Coronatasq; rursum
Suada potens animare tumbas;
Vt orbe coram sistat imaginem
Æui prioris, gestaq; Principum
Augusta, Maiestate plenos
Imperij recitetq; fastos.
Parem Coronis Eloquij ferens
Ex asse laudem, posthuma gloriæ:
O ergo Maiestas triumphet
Eximijs renouata Curis.
Præclare Scriptor, quam tibi Sarmatæ
Debemus, alto sanguine Principum
Regumq; cultu purpurato
Par opus, ingenioq; dignum.
KOCHOVIANO *Cuius vt aureum;*
CIVILE MVNVS *vidimus, omnium*
Amore, complexuq; ferri,
Et Patriæ meruisse gustum;
Sic istud Orbi Sarmatico datum,
Æternitatis ponimus in sinu,
MVNVSQ; REGINALE *tecum*
Purpureo veneramur ostro.

Nobi-

Nobilis quoq; ac eruditus Vir,

D. IOANNES GAWINSKI,

Vetus studiorum, simpalæstrita, Salis cocti Carbariar: Vielicen: & Bochnen: Superintendens grato accinit calamo.

EPIGRAMMA I.

LEchiadum Herôô magnæ de sanguine Matres,
In tenebris quondam quæ iacuêre diu,
Per Te de terris rediuiua in Numina surgunt,
Surgere nam KOCHOVI VESPASIANE *iubes*
Plaudite Sarmatici Vates, Gaudete Monarchæ:
Lechiadis calamus nunc paradoxa facit,
E tumulis ad sceptra Duces reuocauerit ille,
Heroides vocat hic, Regibus ad thalamos.

Aliud

GEmma nouennales, sub Apolline Præside Musas
Quæ tulit in clusas, gemma ea mira fuit.
Augustas, Tua, dum calami sub imagine condit
Charta, triumphato, condecorata stylo
Quis non miretur? quis non subscribat ad æuum?
Gemma Tuus vere est VESPASIANE *liber.*

Aliud eiusdem.

SAlsa Velicensis, dum findis viscera terræ
Et KVNEGYNDÆAS *depopularis opes*
Ecce nouos fætus noua Lechi nomina. Manes.
Sarmaticas Matres fers bone fossor Humo
Virtutes, genium, Maiestatesq; decoras
Quidquid & excelsi est, fert Tuus iste labor
Orpheū KOCHOVIO *tali ductore Magistro.*
Viuent Augustæ! Viuet & iste Liber.

Ali-

Aliud eiusdem.

OCciduos soles quod adoras ritè KOCHOVI
Et sacros manes Lumina sacra colis
Promeritis Oriens. cui das tua sidera Lechi
Sol bene adornabit Te, recoletq; Tuus.

Aliud.

HEroas mentes, Augustæ nomina famæ,
Reginas Magnis Coniugibusq; pares,
Maiestate noua Lechicum produxit in Orbem
Suada coronatos scribere digna thronos:
Illa sepulchrales ingenti mole fauillas
Excutiens quidquid sæcula prisca tegunt:
Reddidit Augusto Regum Venerabile cultu,
Iussit & in patrium surgere busta decus.
Hæc miranda Tuæ virtus & gloria suadæ,
Hæc operis Laus est, ingeniosa Tui!
Ciuis Amans Patriæ, clarissima gemma Virorum
KOCHOVI *Latij, nectar Olorq; styli,*
Inspirare nouæ poteras spiracula Vitæ
Principibus nostris, quas animare licet
Viuacis genio calami, rursusq; Polonis
Fascibus, Augustas, restituisse suas.
Tanta Coronatæ, si fas tibi dicere laudis
Nomina & ad vitam composuisse nouam:
Dignus es Augustos, Regum describere fastos;
Vt viuat calamo Regia vita Tuo.

Sic vouet & optat

JOANNES GAWINSKI.

G. quoq; MARTINVS
à LESZCZYNY
BYLINA,
PONDERATOR VIELICENSIS
Ex affectu & officio ſubſcribit.

ME penes arbitrium eſt, ego ſalſam pondero terram.
Ponderis & precium, cuilibet addo ſuum.
At tua ſub noſtram dum ſe fert pagina Lancem,
Iudiciumq; petit Littera docta meum,
Juro ſacras per Ditis opes, per ſalſea terræ
Fragmina: per Libram, nomina ſacra, meam,
Pondus ineſt grauitasq; tuis mihi crede, Libellis,
Quêis Leebicas, celebras, numina ſacra Nurus.
Parce tamen KOCHOVI *pondus quod (credito) tale*
Non capit, atq; Tuum nunc mea Libra Librum.

C. A. S.

APPROBATIO.

HYPOMNEMA REGINARVM POLONIÆ à Generoſ. D. VESPASIANO à Kochow KOCHOWSKI, Zuppario Vielicien: S. R. M. Secretario, pio erga Regios manes affectu, culto ac eleganti ſtylo conſcryptum, vt tantorum Nominum perennis apud poſteritatem extet memoria, do facultatem, publici vt iuris fiat, ac imprimatur.

HYACINTHVS LIBERIVS
S. T. D. Præpoſitus SS. CORPORIS CHRISTI *Canon: Regul: Librorum in Diœceſi Crac:* CENSOR.

Hist. Polon

6, spec